

CRITICA ET EXEGETICA

ALTERA.

SCRIPSIT

Dr. J. KOENIGHOFF.

CRITICA ET EXEGETICA

ALTEBRA

SCRIPTA

DR. J. KOENIGHOFER



Cap. I.

In prioribus Criticis et Exegeticis, quae quattuor abhinc annis scholarum indici Monasterii Eifliensis addita erant, non sine aliqua hominum doctorum et intelligentium approbatione cum praecipue operam navarim ut aliquot divini illius Homeri locos rectius, quam ab aliis factum esse existimabam, interpretarer, nunc eadem scriptionis occasione et munere oblato initio quasi auspiciandi gratia eiusdem poetae duo experiar locos si enodare possim. Ac primum quidem periclitabor in II. I 378:

ἐχθρὰ δὲ μοι τοῦ δῶρα, τίω δὲ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ.

De quo versu explicando quantopere iam antiquissimis dubitatum atque haesitatum sit temporibus ut intelligatur non a re mihi videtur alienum esse quae in eum exstant scholia apposuisse. Ἐν καρὸς αἴσῃ: ἀπὸ τῶν Καρῶν, οὓς αἰεὶ λοιδορεῖ ὁ ποιητής, οἷον ἐν μοίρᾳ Καρὸς, οἰονεὶ δούλον. τὸ καρὸς Ἀικαῖος μὲν ὁ ἐπιγραμματοποιὸς ἐγκέφαλον ἤκουσεν ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ κάρῳ εἶναι· τὰ γὰρ παλαιὰ τῶν γραϊδίων ἀπορρήπτει τὸν ἐγκέφαλον. λέγει οὖν τὸ τίω δὲ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ, τοντέστι τιμῶμαι αὐτὸν ἐν ἡ μοίρᾳ αἰ γυναῖκες τὸν ἐγκέφαλον. Ἀρχίλοχος δὲ, τιμῶμαι αὐτὸν ἐν μισθοφόρου καὶ τοῦ τυχόντος στρατιώτου μοίρᾳ. Ἀσσανίας δὲ ὁ Κυρηναῖος καὶ Ἀριστοφάνης καὶ Ἀρίσταρχος ἐν καρὸς μοίρᾳ φασὶ λέγειν τὸν ποιητὴν, Δωρικῶς μεταβαλόντα τὸ ἡ εἰς αἰ. Νέσος δὲ ὁ Χίος καὶ τὸ αἰ μὴ κίνει, οὐδὲν φροντίσας τοῦ μέτρον. Ἡρακλείδης δὲ φησιν ὅτι τὰ ἐκ τοῦ ἡ εἰς βραχὺ αἰ μεταγόμενα Ἰονικὰ ἐστίν, ἀλλ' οὐ Δωρικῶν συστολαί. ἀντιφράζει μέντοι ὁ ποιητὴς τῷ ἐν καρὸς αἴσῃ τὸ 'εἰ δὲ τοι Ἀτρεΐδης μὲν ἀπήχθετο κηρόθι μᾶλλον' (v. 300), καὶ ἴσον γὰρ σφιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ' (Γ 454), καὶ ὁ αὐτὸς Ἀχιλλεὺς 'ἐχθρὸς γάρ μοι κείνος ὁμῶς Αἶδαο πύλῃσι' (v. 312). Haec continentur Veneto altero, quem J. Bekker littera B signavit; ex Veneto primo autem et Victoriano cognoscimus fuisse etiam qui κάρα interpretarentur *pediculum*, quod olim probatum esse Doederlinio haud scio an essent qui nisi ipse fateretur Glossar. Hom. II. p. 116 non crederent. Non minus in diversas abierunt sententias Apollonius Hesychius Etymologus Eustathius, neque recentiores interpretes magis inter se consentire cognoscere licet iam ex iis quae uberius ab Heynio et in Dammii lex. Homeric. a Rost. emendato p. 1301 disputata sunt. Quantumvis autem opiniones de illius

versus sententia variae sint, id tamen omnium est commune quod in sola vocabuli *καρὸς* vi explicanda substiterunt, a qua si itidem proficiscendum esse arbitraretur acta mihi sane videretur acturus esse. Quo autem magis insignem Homeri artem in ipsa illa Achillis oratione admirandam esse semper putavi, eo vehementius ea quam totius versus esse voluerunt sententia offendebar. Iam enim mihi paullo attentius considera illud quod J. H. Voss. Achillem facit loquentem: *Gräul sind mir seine Geschenck, und ich acht' ihn selber nicht soviel!* vel quod Wiedasch: *Mir sind seine Geschenke verhasst; ihn acht' ich für gar nichts.* Equidem si quid sentio parum apte factum esse arbitror ut tali modo Achilles dona Agamemnonis et hunc ipsum commemoraret coniuncta atque adeo maiori odio a donis quam ab eo qui ea obtulit abhorreret. Quae si iusta offensione non carere existimaveris, ea tantum abest ut si vocabulo *καρὸς* nihil curans litteram $\bar{\alpha}$ correptam esse nullo simili Homeri exemplo comprobari *mortis* significationem subesse volueris tollatur, ut nova difficultas accedere videatur. Comparaverunt iam scholiastae et post hos alii *Γ* 454, *Α* 228, *Ι* 312, ex quibus locis sane patet *κῆρ* saepe idem esse quod *mors* dicique aliquem invisum esse aequae ac mortem vel Plutonis portam sive domum. Addi etiam potest passim apud Homerum inveniri *τίειν τιὰ ἴσα* vel *ἴσόν τινα* aut *τ. τιὰ ὁμῶς τινα* aut *τ. τιὰ θεῶν ὄς*. Conf. *α* 432, *λ* 484, *ξ* 205, *Ε* 467, 535, 78, *Ι* 302, *Ν* 176, *Ο* 439, 551, *Σ* 81. Ex his tamen locis quibus hic usus apud Homerum contineatur finibus si perspexeris, non sine causa mihi videor dubitare posse, num Homerus dixerit *τίειν τιὰ ἐν κηρί*, nisi forte ad *εἰρονομίαν* quandam confugere placuerit eodemque modo quo Dammius s. v. *αἶσα* convertere illa verba: 'est mihi aequae carus ac mors ipsa i. e. odi et aversor eum ut mortem.' Huc accedit ut huic explicationi cum superiori illa commune sit quod satis moleste atque inepte postquam Achilles Agamemnonis dona sibi invisae esse dixit hunc ipsum vel nullo in pretio vel maximo in odio esse commemorat. Nolo id premere atque urgere si Homerus id quod interpretes volunt scripturus fuerit veri simile esse illi *μιν* additum esse *αὐτόν*, quemadmodum scriptum est *Φ* 243 sq.

ἦ δ' ἐκ ἠζέων ἐριποῦσα
 κρημνὸν ἅπαντα διῶσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ἕεθρα
 ὄξοισιν πικροῖσι, γερύρωσεν δὲ μιν αὐτόν

ibid. 317 sq.

καὶ δὲ μιν αὐτόν
 εἰλύσω ψαμάθοισιν, ἄλις χέραδος περιχένας.

Praeterea recte mihi videor dicere Homerum si non satis qualem Achilles haberet Agamemnonem quidque de eo sentiret superioribus versibus indicatum putasset, tale quid potius iam illi *ἐρρέτω* v. 377 subiecisse. Atqui postquam pluribus qualem ille se gessisset et qui suus esset in illum animus indicavit, apte haec orationis pars concluditur gravi versu: *ἐρρέτω· ἐκ γὰρ εὖ φρένας εἴλετο μητιέτα Ζεὺς*. Agamemno autem ut Achillem placaret et reconciliaret ampla ei dona se daturum esse promiserat. Sed haec quoque Achilles non minus graviter aspernatur ac respuit his verbis: *ἐχθρὰ δὲ μοι τοῦ δῶρα, τίω δὲ μιν ἐν*

καρὸς αἴση. Illud μιν igitur ad δῶρα referendum esse censeo, et in hac quidem re ab omnibus quod sciam qui de huius versus sententia exposuerunt dissentio. Quo probato illud ipsum quod adesse mihi visum est molestum tolli apparet. Neque vero pronomen μιν quo minus verba in hunc modum accipiantur obstabit ne tum quidem, si τριγενὲς id quidem esse apud Homerum, quod exemplis comprobatur ab scholiasta Victoriano ad B 7, neque tamen πληθυντικῶς dici arbitratus eris. Nam eiusdem generis est α 212 ἀμφὶ δὲ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι ἢ δὲ λέοντες, et ο 268 οὐκ ἂν τίς μιν ἐνὶ ὄρει ὑπερολλίσσαιτο, quibus locis μιν ad δῶματα referendum est; haec autem quomodo ad singularis numeri usum iam Apollon. de syntaxi p. 200 revocaverit exposuit Nitzsch. ad Od. α 212. Iam si quaeritur quaenam vis illi controverso καρὸς subsit, nam de vi αἴσης recte exposuit Naegelsbach. *theolog. Hom.* p. 115, de μιν itidem ut ceteri a vero aberrans, ipsa puto sententia flagitari ut illo vocabulo rem vilem, quae non magni aut nullius sit pretii dicamus significari, ita ut si explicatius velis dicere haec sit versus sententia: *Invisa mihi sunt sicut Agamemno ipse dona ab eo oblata, neque per se spectata ullius mihi sunt pretii.* Iam mihi vide quam apte subiiciatur οὐδ' εἴ μοι δεκάκις τε καὶ εἰκοσάκις τόσα δοίη κτε., quorum verborum sententia, si τίω — αἴση ad ipsum rettuleris Agamemnonem, mihi quidem cum superioribus parum cohaerere videtur. Atque cum Hesych. et Etymol. τὸ ἀκαρὸς interpretentur τὸ βραχὺ, ὃ οὐδὲ κείραι οἴοντε, idemque Hesych. καριμοίρους dicat τοὺς ἐν οὐδεμιᾷ μοίρῃ, non video quid obstet quominus iis assentiamur qui καρὸ ductum esse putent a κείρειν ita ut significet 'omne concisum et comminutum, ein Schmitzel,' quae est Rostii sententia, aut quod equidem magis probo, respondeat latino vocabulo *pili*, quod itidem de re vili quae nullius sit pretii et momenti notum est dici. — Haec ubi iam pridem in commentarium rettuli, ad me perlata est pars altera Glossarii Hom. a Doederlinio confecti, quo in libro quae p. 116 sq. de illo Homeri loco explicando proposita sunt quanquam ea me comprobaturum non esse mox videbam, tamen viri ingeniosi et in Homeri carminibus multum versati quasi quadam admonitione paulisper obstupui. Sed re iterum diligenter perpensa iis ipsis quae Doederl. exposuit in sententia mea confirmatus sum. Doederl. autem sequitur Apollon. qui καρὸς αἴση esse dicit κηρὸς μοίρα· οἶον θανάτου μοίρα, et inter καρὸς priore syllaba brevi et κηρὸς non plus interesse arbitratur quam inter χειρὸς et χερὸς, quarum formarum rationem num equidem diversam esse recte existimaverim aliorum placet permittere iudicio. Κῆρ autem et καρὸ ut repeti possint ab eadem origine, consentaneum mihi videtur hoc cum sit id quod tondeatur accomodatam esse formae καρῆναι, κῆρ autem cum quodam modo idem sit ac τὸ κείρον longa efferri vocali.

Cap. II.

Dolo ille castra Graecorum speculatum missus ab Ulixē, qui una cum Diomede eum ceperat, de Hectore et stationibus interrogatus ubi Hectorem cum iis qui principes essent deliberare, nullos autem excubias agere respondit ita pergit K 418 sqq.:

οσσαί μὲν Τρώων πρὸς ἐσχάρας, οἷσιν ἀνάγκη,
οἱ δ' ἐργηρόθασι φυλάσσεμεναί τε κέλονται
ἀλλήλοισι.

Cum ignes qui in Troianorum castris ardebant saepius apud Homerum commemorentur — Θ 509, 561 sq., I 234, K 12 —, et antiquitus et posteriori tempore fuerunt qui ἐσχάρας intelligerent illos ignes. Scholion Venet. et Didymi est: πρὸς ἐσχάρας, πύραι; et nostris temporibus in eandem discessit sententiam Heynius, nec aliter interpretatus est J. H. Vossius: *Denn wo Troer sich Glut anzündeten*, et Wiedasch: *Sondern soviel Brandstätten vor Ilios sind*. Porphyrio autem, cuius rationem miror ab Heynio perspectam non esse, tanta difficultas propter ipsa illa πρὸς πολλά, τὰ καίτεο Ἰλίου πρό visa est adesse, ut pluribus verbis eam solvere et expedire opus esse putaret. Sed illa verborum interpretatio, si Homeri loquendi usum spectamus, probari non potest; nusquam enim apud Homerum neque ignis qui forte in aliquo loco fit, neque locus ubi fit vocabulo ἐσχάρα significatur, sed omnibus quibus legitur locis, qui non pauci sunt, ei subest vis *foci*. Huc cum accedat ut Troianis eodem modo hic opponantur socii atque factum id est B 125 sqq., mihi videtur esse dubium non posse, quin solum probandum sit quod Veneto altero et Lipsiensi continetur ad hunc locum scholion: ὅσαι Τρώων εἰσὶν ἐστίαὶ καὶ οἰκίαι. οἷονεὶ ὅσοι εἰσὶν Ἰθαγενεῖς Τρῶες, οὗτοι φυλάσσουσιν. ἐκ γὰρ τῆς ἐστίας τὸν πολίτην δηλοῖ ἀνέστιος δὲ ὁ ἄπολις καὶ ἄοικος. In eandem igitur fere sententiam verba ὅσαι μὲν Τρώων πρὸς ἐσχάρας accipienda sunt atque B 125 Τρῶας μὲν λέξασθαι ἐφέστιοι ὅσοι ἔασιν.

Neque vero haec ut confirmarem, cum pridem aliis idem placuisse scirem, de hoc loco disserere potissimum mihi susceptum est, sed quod etiamnum viros doctos verborum quae insequuntur et cum superioribus et inter se quae ratio ac conformatio esset non satis percepisse video. Subit enim mirari cum legimus quae Heynius adscripsit: 'Videntur adeo veteres non advertisse difficiliorem structuram: (κατὰ τόσας γὰρ πρὸς ἐσχάρας,) ὅσαι (εἰσὶ) Τρώων, (h. ἐπὶ τοῖς πυροῖς τῶν Τρώων) οἶδε, (h. ἐκεῖνοι) οἷσιν ἀνάγκη ἐστίν, ἐργηρόθασι καὶ κέλονται ἀλλήλοισι φυλλάσσειν. ἢ, quibus necesse est hoc facere, sc. ut assideant ignibus alendis et prospiciant.' Koeppen. autem eo processit ut orationem non satis recte ab Homero conformatam ac structam esse arbitraretur, et Faesi. quae ad rem expediendam protulit eo minus videntur approbanda esse cum ipse iam de iis dubitaverit; scripsit enim: 'πρὸς ἐσχάρας scheint metonymisch zu stehen für ἐστιοῦχοι, πολῖται, Feuerstätten für Inhaber von Feuerstätten.' Equidem autem de hoc loco ita statuendum esse existimo. Quod in singulis non raro constat nominibus fieri, ut eorum casus aliquis ex relativo sive id antecedit sive sequitur aptus sit idem quodam modo in tota sententia οἱ δ' ἐργηρόθασι κτε factum est. Ac singulorum quidem nominum in quibus ille usus valuit satis multa apud Homerum sunt exempla. Statim adest 416 φυλακὰς δ' ἄς εἶρασι. Conf. praeterea Z 396, Ξ 75, 371, α 51. Eiusdem generis est, ut huius loci quasi aliud agendo mentionem faciam, Xen. Anab. V 5, 19: Κοιτωρίας δὲ οὐς ὑμετέροισι φατέ εἶναι, εἴ τι αὐτῶν εἰλήφαμεν, αὐτοὶ αὐτοὶ εἰσὶν. Quare nolim, quod fere fit, post δὲ nota distinguere

neque C. G. Krügerum sequi, qui accusativi rationem inde repetit, quod Xenophon cum in animo haberet pro *εἴ τι αὐτῶν εἶλ.* scribere *εἴ τι ἀγγερόμεθα* orationem alio modo finivisset atque initio instituit. Nomina autem, ut ad Homerum revertar, relativo postposita sunt *M* 20 sq. et 445 ubi tamen inde a particula *αὐτὰρ* orationis forma paullulum immutatur. Simili modo factum est, ut in verbis *οἱ δ' — ἀλλήλοις* non tam eorum quae priore loco posita sunt *ὅσσαι μὲν Τρ. π. ἐσχ.* quam, quasi haec prorsus absint, eorum quae propria sunt *οἷσιν ἀνάγκη* ratio habeatur, quod quominus probetur si quis putabit obstare particulam *δὲ* v. 419 is conferat velim quae prudenter exposuit Naegelsbach. ad *Il. A* 137. Quare Spitzner recte ille quidem fecit quod neque *οἷγε* neque Heynii *οἷδε* aptum esse censuit, sed quod dixit particulam *δὲ* respondere particulae *μὲν* v. 418, id neque necessarium neque prorsus verum esse iam apparebit. Iuvat Ciceronis locum apposuisse tam similem, quam qui simillimus. Is enim scribit de off. I 5: *Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, qui que acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet.*

Ex Graecia cum me delatum esse videam in Latium, hac occasione utar ut eiusdem Ciceronis locum aliquem, qui ab ea ipsa re qua de agitur mihi non ita diversus videtur esse et a coniecturis et a dubitationibus defendam. Ciceronem igitur de off. I 24 extr. scripsisse: *Sunt enim qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere,* consensu omnium codicum constat. Sed cum indicativus *audent* apud Ciceronem offensione non carere videatur, Ernestius librorum auctoritate prorsus neglecta coniunctivum *audeant* non dubitavit substituere, qua in re quanquam alii ei obsecuti non sunt, Zumptiu tamen, homo ut notum est in his rebus sobrius ac prudens *Grammat. lat. par.* 563 scripsit: 'Bei Cicero de off. I 24 erregt der Indicativ nicht mit Unrecht Anstoss.' Hoc comprobare mallet quam rationem indicativi tuendi quam Bonnellius et Ferd. Schultz. *gram. lat. p.* 480 alt. edit. proposuerunt ratam habere. Hi enim putant Ciceronem hoc loco cogitasse de certis quibusdam hominibus qui quod sentirent ausi non essent dicere; quod cum Ciceronem tam universe dixisse appareat ut qui intelligendi essent praeter Ciceronem vix quisquam ne ipse quidem eius filius scire posset mihi videtur probari non posse. Itaque equidem existimo Ciceronem indicativo *audent* usum esse quasi verba: *tamen — dicere* ad ea quae antecedunt *quod sentiunt* solummodo ac non ad priora *sunt enim qui* referenda sint, id quod eo facilius fieri potuit quod interposita sunt verba: *etsi optimum sit.*

Cap. III.

Eo loco quo Herodotus quae Persarum fuerint religiones ritus, instituta mores persecutus est I 134 haec scripta legimus: *τιμῶσι δὲ ἐκ πάντων τοὺς ἀγχιστα ἐωντιῶν οἰκείας μετὰ γε ἐωντιούς, δεύτερα δὲ τοὺς δευτέρους· μετὰ δὲ κατὰ λόγον προβαίνοντες τιμῶσι· ἤμισια δὲ τοὺς ἐωντιῶν ἐκαστάτω οἰκημένους ἐν τιμῇ ἄγονται, νομίζοντες ἐωντιούς εἶναι ἀνθρώπων μακροῦ τὰ πάντα ἀρίστους, τοὺς δὲ ἄλλους κατὰ λόγον τὸν*

λεγόμενον τῆς ἀρετῆς ἀντέχεσθαι, τοὺς δὲ ἐκαστάτω οἰκείοντας ἀπ' ἐουτιῶν κακίστους εἶναι. ἐπὶ δὲ Μήδων ἀρχόντων καὶ ἤρχε τὰ ἔθνη ἀλλήλων, συναπάντων μὲν Μῆδοι καὶ τῶν ἄγχιστα οἰκείων σφίσι, οὗτοι δὲ καὶ τῶν ὁμοίων, οἱ δὲ μάλα τῶν ἐχομένων. κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ οἱ Πέρσαι τιμῶσι· προέβαινε γὰρ δὴ τὸ ἔθνος ἄρχον τε καὶ ἐπιτροπεύον. Scripturae discrepantia in codicibus nulla exstat alia, nisi quod pro τὸν λεγόμενον post κατὰ λόγον est τῷ λεγομένῳ, qui error facili opera sublatus est ab Abreschio neque eum postea quisquam caeco quodam librorum studio captus reducere ausus est. Tum pro οἱ δὲ μάλα τ. ἐχ. in uno Schellershemiano sive Florentino est οἱ δὲ μάλισια τ. ἐχ. Sed quanquam hoc ab Schweigh. Gaisford. aliis receptum est, mihi tamen dubium non est quin profectum sit ab iis quos fugit rarior quae vocabulo μάλα subest vis, de qua satis expositum est a Bredovio *Quaest. critic. de dialect. Herod.* p. 66 sq., et in lexic. Passov. recentissima editione s. v. μάλα. Cognosci autem facile potest illa significatio ex loco simillimo I 181 ubi quae Beli templi fuerit ratio Herodotus declarans haec scribit: καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πύργῳ ἄλλος πύργος ἐπιβέβηκε, καὶ ἕτερος μάλα ἐπὶ τούτῳ, μέχρι οὗ ὄκτὸ πύργων, ubi Schweigh. itidem haerens pro μάλα sine causa malebat πάλιν scribi. In illis autem verbis quae supra posui interpretandis et explicandis viri docti mirum quantum mihi videntur a vero aberrasse. Schweigh. quidem ita in sermonem Latinum convertit: 'In honore autem habent, post sese mutuo, illos qui a se proxime habitant; post hos, qui his finitimi; et sic deinde in honore habendo pro ratione progrediuntur: minimeque omnium in honore habent hos, qui ab ipsis longissime remoti vivunt. Scilicet se ipsos hominum omnium arbitrantur esse longe praestantissimos; alios vero pro praedicta ratione virtutem colere; denique, qui ab ipsis longissime habitent, esse ignavissimos. Quoad vero penes Medos fuerat imperium, etiam populi alter alteri imperabant: cunctis quidem Medi, et praesertim his qui proxime eis habitabant; hi vero, suis finitimis; et illi rursus his qui eos proxime attingebant. Et pari quoque ratione Persae in honore habent alios populos: nam similiter progrediendo alius populus alii praeest et in illum imperii partem aliquam sibi commissam exercet.' Quam si Graecorum verborum veram esse sententiam statuerimus, eum qui paulo accuratius attenderit non puto posse quin offendatur eo, quod quae inter se apta non sint nec cohaereant deinceps se excipere videat. Quid enim attinet eo loco, quo scriptor commemorat a Persis homines quo propius eos habitaverint in maiori habitos esse honore, dici quam diu penes Medos fuerit imperium alteri alterum imperasse populum? Huc accedit quod post sententiam ab hoc loco prorsus alienam id quod satis plane expositum erat inepte iteratur verbis illis: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ οἱ Πέρσαι τιμῶσι, quod rursus alterum prorsus novum de Persarum imperio prolato iam sequi volunt. Verba enim προέβαινε γὰρ κτλ. cum Schweigh. latine reddens ad certum quendam populum non rettulerit, in *Adnotationibus* sententia retractata scribit: 'Video me non ex auctoris mente verba ista in *Lat. versione* reddidisse, quum non animadvertissem, τὸ ἔθνος, adiecto articulo, necessario ad *Persas* referri, non ad *alium* atque *alium* populum. Rectius igitur H. Stephan. in ora suae editionis: *Late enim progrediebatur illa gens imperans et praefecturas obtinens.*' Et Baehrius quidem illam de Persis

sententiam propositam ubi assensu suo approbavit, mirae sagacitatis et sermonis elegantiae documentum edens eo ait omnia redire, 'ut Persici imperii similis propemodum commonstretur fuisse forma, similis fere ambitus et regnandi s. administrandi provincias ratio, quae antea Medorum fuerat.' Quae quam ab hoc loco sint aliena ac confusa neminem arbitror non videre. Heerenius autem ad quem ille provocat cum in libro quem inscripsit: *Ideen über die Politik* cet. I, 1 p. 142 sq. ita disserat: 'Wie weit ihre (der Meder) Herrschaft im Osten reichte, lässt sich nicht bestimmen, weil es in verschiedenen Zeitaltern verschieden gewesen zu sein scheint. — Gewiss aber waren ihnen viele Völker unterworfen. Denn in ihrem Reiche herrschten nach Herodot die Völker nach der Entfernung über einander. Die Meder, sagt er, hatten dieselbe Meinung wie die Perser, dass sie sich für das erste aller Völker hielten, und die übrigen in eben dem Maasse für geringer und verächtlicher ansahen, als sie weiter von ihnen entfernt waren. In dem Medischen Reiche herrschten daher die Völker über einander. Die Meder selber nämlich über alle, und diejenigen besonders, die ihnen zunächst wohnten; diese wiederum über ihre Nachbarn; und diese wieder über die, welche auf sie folgten.' ex hoc Herodoti loco satis apertum est quanta fuerit imperii Medorum magnitudo sibi visum esse quodam modo colligere posse, nihil autem de Medici imperii forma ad Persas translata dixisse neque de verbis *προέβατε γὰρ κτέ.* quam haberet sententiam aperuisse. Neque eo quod inde effici vult Medos aequae ac Persas summam sui habuisse opinionem, aliasque gentes quo longius remotae essent magis despexisse, Herodoti verbis non subiecit sententiam quae iis non continetur. Schöllius denique qui Herodoti libros in Germanorum transtulit sermonem cum interpositis duobus vocabulis quibus in Graecis verbis nihil respondet postrema ita interpretatus sit: 'Nach derselben Ordnung nun werden auch die Völker von den Persern geschätzt, denn [nach Jenen] gelangte dieses Volk zur Herrschaft und Verwaltung,' apertum est eos secutum esse qui *τὸ ἔθνος* Persas intellexerint. Quodsi nobis contigerit ut qua in re ab aliis in hoc loco recte intelligendo erratum esset demonstraremus, iustae simul explicationis viam patefactam esse putamus. Nisi varias atque adeo diversas sententias inter se connexas esse statuere placuerit, dicendum erit Herodotum id potissimum egisse ut ex qua ratione Persae aliis honorem tribuissent exponeret. Quod ne cui mirum esset, data occasione ac suo more eandem rationem in re in qua etiam magis id insigne esset Medos iam secutos esse dicit. Itaque alterum alterius causa affertur. Sed ut nunc illa verba scripta ac signis fere distincta videmus, verborum *ἐπὶ δὲ Μήδων — ἐχουέτων* sententiam per se stare qui Herodoti libros ediderunt aut interpretati sunt videntur existimasse. Nam ratio, quam Langius Herodoti interpres non fere contemnendus iniiit magis ut videtur difficultates quae in hoc loco inessent sentiens quam removens, prorsus improbanda est. Is enim hunc locum ita convertit: 'Am meisten achten sie die, so ihnen am nächsten wohnen — nach ihnen selber, versteht sich — dann die so dann kommen, und dann nach Maass immer so weiter. Am wenigsten aber halten sie von denen, die ihnen am entferntesten wohnen. Denn sie selber sind ihrer Meinung nach in allen Stücken bei weitem die vorzüglichsten von allen Menschen, die andern aber kommen der Vorzüglichkeit nahe nach

besagtem Maasse, und die am entferntesten von ihnen wohnen, sind die schlechtesten. Nämlich als die Meder noch Herren waren, herrschte ein Volk über das andere, aber die Meder über alle und über die, so ihnen zunächst wohnten, diese aber über ihre Nachbarn, und diese wieder über die so ihnen angrenzten. Und nach demselben Maass achten die Perser andere Leute, denn des Volkes Herrschaft und Verwaltung erstreckt sich sehr weit.' Vides igitur Langium in eam incidisse sententiam ut existimaret verbis: ἐπὶ δὲ Μήδων κτῆ. explicationem quandam eorum quae supra dicta sunt contineri. Sed cum antea de Persis dictum sit, apparet particula δὲ novum quoddam inferri quod quodam modo gravius et maius esse particula καὶ ante ἤρχε significatur, ita ut ille non solum peccaverit quod initio sententiae vocabulum illud 'nämlich' posuit cui in verbis Graecis nihil respondeat, sed etiam particulam καὶ in qua hoc loco gravis inest vis prorsus omiserit, qua quidem re quin sententiarum ratio perturbata sit dubitari non potest. Huc accedit quod in iis quae extrema sunt convertendis: προέβαινε γὰρ κτῆ. a vero aberravit. Secutus ille quidem est Stephani explicationem, in quam Schweigh. posteriore tempore abisse vidimus, sed de Persis recte hoc dici non posse supra memoratum est, et imperium late progressum esse quin verbo προέβαινε non significetur dubium esse non poterit ei qui quod satis apertum est animadverterit inter se respondere προέβαινε τὸ ἔθνος ἄρχον τε καὶ ἐπιτροπεῦον et quod supra scriptum est κατὰ λόγον προβαίνοντες τιμῶσι. Iam ut eo unde digressus sum revertar, ut verbis ἐπὶ δὲ Μήδων nova prorsus sententia quae ad ea quae antecedunt nihil pertineat illata videatur id falso interpungendi modo quo verba quae coniungenda sunt dirimuntur factum est. Ea enim quae sequuntur: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ οἱ Πέρσαι τιμῶσι cum superioribus cohaerent, neque, id quod Gaisford. et Bähr. fecerunt, post ἀλλήλων maxima distinctionis nota collocanda est, ita ut sententia sit: cum summa imperii penes Medos esset, populi adeo ex eadem ratione qua Persae honorem aliis habent alteri alteris imperabant. Hanc sententiam ut nemini iam improbari existimo, ita particula δὲ quae post verba κατὰ τὸν αὐτὸν in libris exstat admittere non videtur. Neque enim eam hoc loco probaveris explicandi rationem ut particula δὲ posita orationem pluribus interiectis quasi ad initium redire et continuari dicas, quem usum et apud alios scriptores et apud ipsum Herodotum inveniri satis notum est. Conf. I 28: Χρόνον δὲ ἐπιγνομένον καὶ κατεστραμμένων σχεδὸν πάντων τῶν ἐν τῷ Ἄλφει ποταμοῦ οἰκημένον (πλὴν γὰρ Κιλίκων κτῆ.) κατεστραμμένων δὲ τούτων κτῆ., et II 120: εἰ δὲ τοι καὶ ἐν τοῖσι πρότεροις χρόνοις ταῦτα ἐγίνωσκον, ἐπεὶ πολλοὶ μὲν τῶν ἄλλων Τρώων, ὅποτε συμμίσγοιεν τοῖσι Ἕλλησι, ἀπόλλυντο, αὐτοῦ δὲ Πριάμου οὐκ ἔστι ὅτε οὐ δύο ἢ τρεῖς ἢ καὶ ἔτι πλείους τῶν παίδων μάχης γινομένης ἀπέθνησκον, εἰ γὰρ τι τοῖσι ἐποποιόισι χρεώμενον λέγειν, τούτων δὲ τοιοῦτων συμβαινόντων κτῆ. Quorum quidem locorum rationem cum plane aliam esse pateat atque eum de quo disputamus, particulam δὲ a librariis qui nova quae a verbis κατὰ τὸν αὐτὸν inciperet sententia ne ἀσυνδέτως inferretur cauturi fuerint additam esse eo magis mihi persuasi quod eandem hanc particulam aliis quoque locis inserta est. Conf. quae Gaisf. de librorum scripturis adnotavit I 7, 27, 103, 104, 117. Imprimis autem ad id

de quo agitur insignis est locus II 30. Ibi enim scribitur librorum consensu et auctoritate: ἐπὶ Ψαμμιτίχου βασιλέως φυλακαὶ κατέσταςαν ἐν τε Ελεφαντίνῃ πόλει πρὸς Αἰθίοπων, καὶ ἐν Λάφυγαι τῆσι Πηλουσίησι, ἄλλη δὲ πρὸς Ἀραβίων καὶ Σύρων, καὶ ἐν Μαρῆ πρὸς Αἰβύης ἄλλη. Quae si recte se haberent iis hanc sententiam, id quod a viris qui in Herodoti libris edendis curam posuerunt interpungendi nota post Πηλουσίησι posita satis indicatum est, patet contineri: 'Psammiticho regnante praesidia erant collocata et in oppido Elephantine adversus Aethiopes et Daphnis Pelusiaticis, alia autem adversus Arabes et Syros, et Mareae adversus Libyam alia.' Daphnis autem cum nullo modo credibile sit praesidia fuisse contra Aethiopes, neque equidem perspiciam quomodo καὶ ἄλλη δέ, quae est opinio Schweighaeuseri qui particulam δὲ 'percommode adiectam esse' scribit, idem significare possint quod: *atque item alia*, nihil relinquitur nisi ut Fr. Junii sententiam ad Esaiam XXX 3 propositam comprobemus auctoritatemque J. Bekkeri sequamur, qui particulam δέ, quanquam in omnibus libris invenitur eiiciendam esse censuerunt. Nam quod G. J. Eltizio visum est, qui *Nov. Annall. suppl.* IX p. 326 vocabulum δέ eiici opus non esse existimat, scribendumque esse ἄλλη δὴ censet, quemadmodum Aelianus v. h. I 34 dixerit: οὐδέν τι τῶν ὑβρισμένων, οὐδὲ τῶν ἄγαν πολυτελῶν προσφέρουσιν, ἀλλ' ἢ βοῦς ἢ οἶς ἢ δὴ σῖτον καὶ οἶνον ἄλλοι, id mihi non probatur. Aelianus enim cum quae munera ac dona Persae pro suis quisque facultatibus regi iter facienti obtulerint commemorat, in enumeratione harum rerum ei quod ultimo loco posuit particula δὴ gravius quoddam pondus apte addidit, cuius quidem usus locus perquam similis exstat apud Plat. rep. VI p. 493 D: εἴτ' ἐν γραφικῇ εἴτ' ἐν μουσικῇ εἴτε δὴ ἐν πολιτικῇ. Apud Herodotum autem quamobrem prius illud ἄλλη, ad quod solum pertinere vocem δὴ ex ipso positu appareret, maiori vi efferendum atque circumscribendum sit, eius rei ullam probabilem reddi posse rationem non perspicio aut intelligo. Neque mihi dubium est quin idem Bekker IV 62 in verbis: καὶ δὴ καὶ τοῖσδ' εἶμι πλέω θύουσι ἢ τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι. Ὅσους δ' ἂν τῶν πολεμίων ζῶργήσωσι, ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν ἀνδρα ἕνα θύουσι maxima distinctione post θεοῖσι sublata δὲ particulam quae in libris et qui manu et qui typis descripti sunt vocabulo ὄσους postposita invenitur recte delendam esse censuerit cum verba ὄσους ἂν — θύουσι eorum quae supra dicta sunt explicationem habere pateat, qualia ἀσυνδέτως fere adiungi notum est. Itaque cum exempla particulae δὲ a librariis insertae apud Herodotum non ita rara esse videamus, non vereor ne in prudentium hominum reprehensionem incurram si idem I 134 factum esse existimo. Herodoti enim verba cum eo quod male illatum est detracto scripseris et notis distinxeris hunc in modum: ἐπὶ δὲ Μήδων ἀρχόντων καὶ ἤρχε τὰ ἔθνεα ἀλλήλων, συναπάντων μὲν Μῆδοι καὶ τῶν ἀγχιιστα οἰκούντων σφίσι, οὗτοι δὲ καὶ τῶν ὁμοῦρων, οἱ δὲ μάλιστα τῶν ἐχομένων, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ οἱ Πέρσαι τιμῶσι, vel si mavis ita ut verba συναπάντων — ἐχομένων maioris etiam perspicuitatis causa parenthesis quae dicitur signis includas, omnia plana esse patet. Nam si quis Herodoti exempla quaerat, quibus ὁ αὐτὸς καὶ significat *idem atque*, is conferat IV 109 et 155, V 65 et Struvii *Quaest. de dialect. Herod.* I p. 25 sq.

Haec postquam a me perscripta erant in Herodoti historias incidi a B. H. Lhardy explicari coeptas, quem quidem cognovi recte postrema illa verba *προέβαινε γὰρ κτε.* ad Medos esse referenda existimasse, sed hoc ipsum quomodo in ea qua Herodoti verba descripsit et distinxit ratione fieri possit difficile est ad perspicendum. Nam cum post *ἐχομένον* maximum posuerit distinctionis signum, non possumus non existimare verbis proximis *κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ οἱ Πέρσαι τιμῶσι* gravissimam sententiam et quasi caput contineri, quo facto quae insequuntur *προέβαινε γὰρ δὴ τὸ ἔθνος*, praesertim cum *ἔθνος* articulo insignitum sit ac definitum, nullo modo, id quod Schweigh. recte intellexit, de Persis accipere non possumus; quae quidem ratio a totius loci sententia est quam maxime aliena. Quae si recte, ut mihi videor, exposui, vides quibus difficultatibus Lhardy. quoque hunc locum dimiserit impeditum.

Cap. IV.

Scriptores relinquentes Graecos e Latinis iam materiam quandam aut emendationis aut explicationis, si videbuntur alterutro auxilio indigere, petituri sumus.

Scriptum est Sallust. b. Jug. c. XVI in omnibus fere codicibus: *Eum Jugurtha tametsi Romae in amicis habuerat, tamen accuratissime recepit; dando et pollicitando multa perfecit, uti famae, fide (al. fidei) postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferet.* Cod. Vin. 2 habet *inimicis*; Palatin. 7 *inimicos*, unus *Commel. in inimicis*, et hanc quidem scripturam (*in inimicis*) editores plerique omnes, in his, ut a Gerlachio parum sibi constante discedam, Kritz. Fabri. Dietsch. Herzog. et receperunt et argumentis defendere conati sunt. Quod num recte factum sit prius quam iudicare possimus non alienum erit memoriam rerum quae ante narratae sunt a Sallustio ita repetere ut unum sub aspectum subiectae esse videantur.

Postquam Micipsae filiorum alter Hiempsal ab Jugurtha dolo circumventus periit, alter Adherbal proelio victus Romam contendit, Jugurtha facinorum quae perpetrasset sibi conscius Romam cum auro et argento misit, quibus praecepit, uti quos possent ambiundo largiundo corrupendo in suas partes trahere ne cunctarentur. Quod cum satis ex sententia successisset, senatus consulto decretum fit, uti decem legati regnum quod Micipsa obtinuerat inter Jugurtham et Adherbalem dividerent. Eius legationis princeps fuit L. Opimius, quem Jugurtha accuratissime recepit. Iam quaeritur, utrum *in amicis* an *in inimicis* praeferendum sit. Atque illam scripturam esse improbandam ac reiiciendam, hanc recipiendam tuendamque pluribus demonstrare conatus est cum Sellingius lect. Sallustian. decad. III p. 22, tum Kritzius. Quae qualia sint quo melius pateat, ea quae hic ad h. l. adnotavit ad verbum transcribi placet. Qui sequentia, inquit, accurate consideraverit, intelliget Opimium Romae non fuisse Jugurthae *amicum*; cur enim opus fuisset *dando et pollicitando multa* eum sibi adiungere, qui iam a partibus suis staret? Ipsumque *perfecit* verbum (de cuius propria vi cf. Herzog. ad Catil. XIV, 3. p. 72.) ostendit, non sine multo labore id consecutum esse Jugurtham, ut Opimium sibi conciliaret. Denique etiam *tametsi* particula eandem scripturam

suadet, siquidem maxime in iis enunciationibus concessivis locum habet, ubi id quod con-
 sectarium est, insolens esse dicitur, et ei, quod condicione continetur, quasi repugnat; v.
 Ramshorn. Gramm. Lat. § 191, 1. p. 595. Jug. XX, 5; tale est autem *inimicum accuratis-*
sime recipere, quod a natura ingenii humani abhorret. Postremo si Sallustius Opimium
 Jugurthae amicum fuisse voluisset dicere, non debebat ita loqui, ut in vulgata est, sed sic:
eum Jug. quum iam Romae in amicis habuisset accurat. recepit. Quae quum ita sint,
 non dubium est quin unice verum sit *in inimicis*, quam scripturam servavit cod. Commelin.
 Neque tamen mihi hoc modo persuasum est, verbaque *in amicis* retenturos esse arbitror
 omnes qui haec reputaverint. Et pondus quidem non exiguum in eo mihi videtur inesse,
 quod codices ad unum fere omnes illam scripturam suppeditant, quorum auctoritatem pru-
 dentes harum rerum existimatores non prius deserendam esse consentiunt, quam argumentis
 firmissimis elevata sit. Atque id hoc loco fieri posse nego. Ipse enim Sallustius initio
 capituli scripsit: *Vicit tamen in senatu pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat.*
 Nonne est veri simillimum eosdem homines pervicisse ut, si non omnes legati, legationis certe
 princeps, a cuius voluntate et arbitrio quae deinde Jugurthae rerum condicio futura esset
 quam maxime penderet, is fieret, qui animum ab Jugurtha non alienatum ostendisset? At
 vero, inquit, cum verbis: *tametsi Romae in amicis habuerat*, ea quae cum magna quadam
 vi opponuntur: *tamen accuratissime recepit*, conciliari non possunt. In hac autem re tam gra-
 viter offensum esse, id sane est quod mirere. Quem in amicorum numero habemus, eum a
 nobis amanter et benigne hospitio excipi par est, sed hoc ut fiat accuratissime, id est,
 ut omnis cura ne in recipiendo quid neglectum videri possit adhibeatur, diligentissimusque
 amico cultus tribuatur, id officiis quae amicis praestanda sunt tantum abest ut postuletur, ut
 hoc ipsum facile habere possit odiosum et molestum quiddam. Sed Jugurtha, cum Opimium
 non ut amicus amicum, sed ampliori quadam et illustriori loco constitutum officiosissime ex-
 cepisset, qua erat summa calliditate, fore sperabat, ut hoc modo illius animum caperet ac
 teneret. Accedit aliud ab omnibus neglectum. Opimius etsi Romae in amicis Jugurthae
 fuerat, nonne ab eo maxime tempore quo legationis princeps factus erat signa animi mutati
 dare, aut Jugurtha certe suspicari potuit, sibi iam cum Opimio aliam intercedere rationem?
 Nonne videtur Sallustius hoc ipsum non obscure significasse scribendo: *tametsi Romae*
habuerat? Sed plusquamperfecti vis plus semel parum perspecta est et ab aliis et ab
 ipso Kritzio ad Jugurth. c. 39. p. 227, quo meliora docuerunt Madvig. disput. de Asconio
 p. 139 not. et Frid. Ellendt. explicat. ad Cic. de orat. p. 23. Illud autem postremum
 Kritzii iam iudicare possumus cum scribit Sallustium debuisse ita loqui: *eum Jug. quum iam*
Romae in amicis habuisset, accurat. recepit, sententiamque vocabulo *iam* addito mutatam
 esse aut non vidit, aut nihil curavit. Speciose autem vel potius leviter egit Kritz. quod
 proxima verba: *dando — anteferet* ob stare quominus *in amicis* verum habere possemus
 pronuntiavit: *Cur enim, inquit, opus fuisset dando et pollicitando multa eum sibi adiungere*
qui iam a partibus suis staret? Scilicet Jugurtha aliquid in Opimii animo gratiaque sibi
 concilianda eo quod accuratissime eum recepit assecutus esse putandus est, sed maiora

restabant. Opimio enim commodum regis famae fideique suae antefendum erat, idque Jugurtha demum dando pollicitandoque multa perfecit. Hinc simul patebit, Fabrium diligentem alioquin interpretem, inconsiderate secutum esse sententiam Selingii censentis 'particulam tamen non ad *recepit* referendam, sed ad totam periodum, quae verbo *anteferet* clauditur, sive ad verbum *perfecit*.' In hunc enim modum Selingius Sallustii verba germanice convertenda esse putavit: 'Wiewohl Jug. zu Rom einen Feind an ihm gehabt hatte, so brachte er es doch durch sorgfältige Aufnahme, durch viele Geschenke und Versprechungen dahin, dass er seine Ehre, seine Pflicht, mit einem Worte Alles dem Vortheile des Königs aufoperte.'

Cap. V.

Sallustius c. XLII b. J. de Gracchis eorumque adversariis breviter ille quidem sed satis prudenter suam ferens sententiam haec ad rem accommodata, ad intelligendum, si ex interpretum in diversa abeuntium dissensionibus iudicandum est, ambigua posuit verba: *Igitur ea victoria nobilitas ex lubricine sua usa multos mortales ferro aut fuga exlinxit, plusque in reliquum sibi timoris quam potentiae addidit.* Nam cum iis quae postrema sunt alii contenderint significari nobilitatem victoria sua id assecutam esse, ut magis timeret quam valeret, alii non minus acriter defenderunt ita esse haec accipienda: 'effecerunt nobiles ut in reliquum timerentur magis quam plus potentia valerent.' Equidem si quis haec verba: *aliquis plus sibi timoris quam potentiae addidit* per se spectaverit, cum qui potentiam sibi addidit potens factus sit multumque valeat, eum existimo in eam deferri sententiam ut eodem modo accipiat priora verba dicatque eum qui timorem sibi addiderit iam timorem habere vel timere. Sed hoc ipsum qui contra disputarunt mirati sunt, quomodo qui potentia gaudeant in timore esse dici possint, et gravius etiam argumentum opponere sibi visi sunt id quod Velleius memoriae tradidit II 7, 3 hisce verbis: *crudeles mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt;* in qua re non opus fuit ad Velleii confugere auctoritatem cum Sallustius ipse gravioribus etiam verbis idem commemoraverit, neque hanc rem aptam fuisse nego ad terrorem iis qui ab optimatum partibus non stabant incutiendum. Itaque cum in verbis ambiguum quid inesse videri possit, miror ab omnibus neglectum esse quaerere, id quod in hoc interpretationis genere maximi omnes consentiunt esse momenti, numquid ad illa verba recte intelligenda, id est, sic ut scriptor voluit, ex ipso scriptore auxilium peti possit. Atqui Sallustius de illis seditionibus rebusque quae consecutae sunt quid senserit non obscure significavit. Nam si comparaverimus illa ex Memmii oratione verba c. XXXI 2: *Nam illa quidem piget dicere, his annis viginti quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede quamque inulti perierint vestri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxii inimicis exurgitis atque etiam nunc timetis eos, quis decet terrori esse,* et ibid. 13: *Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse pro munimento habent. Illa quam*

quisque pessime fecit, tam maxime tutus est; metum a scelere suo ad ignaviam vostram transtulere, Sallustio dicemus persuasum fuisse nobilitatem quod victoria sua ex libidine crudeliterque usa erat ita ut multi ex adversariis aut occiderentur aut in exilium mitterentur cum tumultu sedato iam ipsa ad se redisset et quid inde redundaturum esset secum reputasset culpae consciam timere incepisse, neque eam quam consecuta esset potentiam fuisse tantam, quantus de rebus futuris timor eius erat ex facinoribus ortus. Atque ne quis dicat illam fuisse opinionem Memmii non Sallustii, in eandem prorsus sententiam hic scripsit c. XLII init.: *nobilitas noxia atque eo percussa*.

Cap. VI.

Ab hac explicandi opera cum iam ad emendationis genus transire lubeat, primum in iis quae scripta sunt Jug. XLVII 2 periculum faciemus. Res autem quo melius procedat sunt fortasse quibus prius omnem scripturae discrepantiam uno in conspectu proponi non alienum esse videatur. Quo tamen negotio, non quod multum habeat molestiae et iniucunditatis, me posse hoc quidem in loco supersedere existimo, sed quod iis qui voluerint facili opera aliunde cognoscendi facultas data est sola librorum manu scriptorum ope verba Sallustiana de quibus disputare aggressuri sumus in integritatem restitui non posse. Itaque ad rem nostram putaverim sufficere verba perpetua attulisse quemadmodum a Gerlachio in editione minore descripta sunt: *Huc consul simul temptandi gratia, et si paterentur, opportunitate loci, praesidium imposuit; praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent comportare, ratus, id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et comeatum iuvaturum exercitum et iam paratis rebus munimento fore*. Atque initio quidem enuntiati eodem modo plerique omnes scribunt, nisi quod Madvig. ut cognosci licet ex Boiesenii editione, quae Hauniae MDCCCLII prodit, Fabri. Dietsch. pro *opportunitate* malunt *opportunitatis*. Haec autem nisi omnia me fallunt probanda non sunt. Id quidem recte ab his interpretibus perspectum est duas commemorari causas quibus Metellus commotus praesidium in oppidum Vaccam sive Vagam imposuerit. Sed attende mihi animum, ex qua causa, si illa scriptura esset vera, id factum esse dicendum esset. Metellus enim primum illud fecisset ut oppidum incolentium animos tentaret et exploraret, (nam Kritzius verbum *tentandi* hoc loco idem esse dicens quod 'ad desciscendum et ad proditionem illicere' a vero aberrasse putandus est) tum, si paterentur incolae neque ulla re hoc impedire vellent. Sed ut haec bene inter se apta sint ac convenient equidem valde vereor. Priore enim sententia facti cuiusdam consilium significatur, altera ex condicione quadam res ipsa suspensa est. Illa: *tentandi gratia praesidium imposuit* significant, Metellum oppidum praesidiis firmasse ut qui esset incolarum in se et Romanos animus ac voluntas exploraret, sed tum hoc ipsum praesidium imponere in locum perquam opportunum inde imperator Romanus voluit pendere, num oppidani ne id fieret prohibere tentarent, an cum obsequio id paterentur. Sed ut taceam videri hoc alienum esse a Metello, *acri viro* (conf. c. XLIII init.), quem veri simile est si

quem invenisset in hac re sibi resistere in animum induxisse, non leniter egisse neque inertibus usum esse consiliis, sed si alienatam et ad resistendum paratam cognovisset voluntatem eo ipso ut grave ederet exemplum esse commotum, ad solam mihi iam animum adverte rationem grammaticam. Quid enim illud est: *si paterentur, praesidium imposuit*? Nonne haec ita dici exspectas: *si paterentur, praesidium impositurus erat*, vel *praesidium imponere constituit*? Neque illud, quod *tentandi gratia* nullo modo definitur offensione quadam mihi vacare non videtur. Itaque sententia ipsa flagitante hunc in modum haec scribenda esse censeo: *Huc consul, simul tentandi gratia si paterentur, opportunitate loci praesidium imposuit*. Gravissima causa cur consul oppidum praesidio in sua tenere vellet potestate in loci opportunitate posita erat, sed accedebat altera ut ita sibi agendum esse arbitraretur. Metellus enim *intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit, ubi contra belli faciem luxuria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant; ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia quae imperarentur facere*. Neque Metellus *iccirco minus, sed pariter ac si hostes adessent munito agmine incidere, lateque explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere et insidiis locum tentari*. Conf. c. XLVI. 'Quare, ut Dietschii verbis utar, multum eius referebat scire, num si oppido potitus esset, tamen Numidae pacem agituri forent.' Atque hoc ipsum quid in oppido firmando praeter id quod maxime Metello propositum erat aliud hic secutus sit bene significatur particula *simul* addita. Crebro enim Sallustium hoc adverbio uti, ubi ad id quod in aliqua re gravissimum est adiciatur quod in eadem re non minimi momenti sit Cortius Kritzius Dietschius ad Catil. XIX 2. isdem fere verbis docuerunt. Conf. Cat. XVI 4; XVII 7; XX 3; L 5; a quibus locis aliisque quos Dietsch. attulit is quem tractamus eo paullulum differt, quod ea quibus altera causa continetur primariae sententiae interposita sunt. Sed haud scio an ea ipsa corruptionis causa fuerit. Cum enim particulis *simul et* tritissimo et aliorum et Sallustii usu sententiae nectantur ac copulentur, potest sane factum esse ut illud *et* cum eandem huius loci rationem esse crederetur in plurimos codices inferretur, idque eo facilius fieri potuit aut debuit ab iis quibus *gratia et opportunitate* pari ratione collocata esse videbantur. Nam olim *opportunitate* hoc loco scriptum fuisse recte Gerlachius et Kritzius inde coniecisse videntur, quod in Guelf. 11. Med. 4. 10 et Bon., quibus iam accedit cod. Hauniensis primus, legitur *propter opportunitates*. Particula *et* autem illata ablativum *opportunitate* mutare aut pronum aut necessarium fuit iis qui vel socordes, id quod non semel factum esse constat a librariis, verbo *paterentur* iam *opportunitates* adaptabant, vel illius *tentandi gratia* memores *opportunitatis* eadem ratione effingebant. Simile quid factum esse existimo in iis quae proxima sunt. *Juaturum* enim mihi quidem natum videtur esse aut propter *exercitum* aut quod magis credo propter *commeatum* perperam sic scriptum. Hanc autem veram esse duco huius loci scripturam: *praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent, comportare, ratus, id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatuum iuaturam exercitum et iam paratis rebus munimento fore*. Neque ita ut censerem illud non fecit, quod ex iis quae alio modo

ab aliis editoribus hoc loco scripta sunt non satis probabilem sententiam existere putabam, et quod apud Tacitum non in paucis Sallustium imitantem locus perquam similis exstat Ann. XIV 33 init.: 'At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatumum maxime celebre.' ubi itidem in deterioribus libris et editionibus pro *commeatumum* sive *commeatum* littera finali *m* prima proximi vocabuli *maxime* absorpta scribitur *commeatu*.

Cap. VII.

In T. Livii rerum Romanorum libris qui accuratius versari vult, ei paullo melior quam in Sallustio sors contigit, quod cum aliorum tum Alschefskii laudabili studio et labore, quem ad finem huius viri morte perductum non esse est sane quod doleas, effectum est, ut quid libris manu scriptis traditum sit satis iam excussum atque exploratum habeamus. Neque tamen fieri posse ut his solis subsidiis omissa prorsus et neglecta arte critica atque coniciendi sollertia huius scriptoris verba ad incorruptam suam integritatem revocentur, neminem esse puto qui ignoret. Ipse et aliis locis et eo qui est XXIII 44 hoc expertus esse mihi visum sum in verbis quae J. Bekkeri exemplum secutus describam: (Hannibal) *corona oppidum circumdedit, ut simul ab omni parte moenia aggrederetur. quem ut successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie cum magno tumultu erupit. aliquot primo impetu percussi caesique sunt; dein concursu ad pugnantem facto aequatisque viribus atrox coepit esse pugna. memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantem. eo die commisso modico certamine atque irritatis animis in urbem Romani, Poeni in castra sese receperunt. tamen Poenorum prima eruptione percussi ceciderunt haud plus quam triginta, Romani quinquaginta.* In his autem plura occurrunt quae dubitationem movere possint. Qui enim veri simile esse credi potest, primo impetu percussorum caesorumque Hannibalis militum minorem fuisse numerum, quam qui ex Romanis ceciderint, qui instructa acie cum magno tumultu eruperint? Nam id quidem quominus statuamus, a Livio omnium qui illo certamine perierint rationem esse initam, verbis illis *prima eruptione percussi* iam prohibemur, neque id dicere licet, nisi Livio notam parum accuratae diligentiae inurere volumus, cum nulla eius rei certa significatio facta sit, perscriptum esse, quot Poeni prima eruptione percussi, quotque Romani omni illo certamine cecidissent. Quae cum ita sint, mirum esse non potest quod in numeris offendentes J. Fr. Gronovius *haud plus quam trecenti*, Drakenborchius *haud plus quadringenti* scribi voluerunt. Sed ut omittamus verba *haud plus* ei rei parum favere, hae coniecturae a libris nihil habent praesidii, cum in P C scriptum sit *haud plus quam triginta*, in Berol. *haud plus XXX^{ta}*, idemque numerus reliquorum codicum auctoritate nitatur; neque per se veri simile videri potest, primo impetu trecentos aut quadringentos esse caesos. Quod autem Alschefski. illum numerum vocabulo *aliquot* tueri conatus est, in ea re ille parum caute versatus est. Nam *aliquot*, inquit, h. l. significare non posse *'eine bedeutende Anzahl'*, sed *'einige'*, id quod sequitur, *haud plus quam triginta*

Poenorum percussos cecidisse, docet.⁷ Iam hac vocabuli *aliquot* significatione posita veram esse scripturam *triginta* demonstrare studet. At haec est quam logici vocant demonstratio in circulo. Idem eo lapsus est quod ad *tamen* supplendum esse 'etsi magno impetu Romani eruperant' neminem fugere posse arbitratus est. Quidni, id quod multo magis consentaneum est, verbis illis quae proprius absunt: *modico certamine atque inritatis animis* illud quod oppositum sit contineri dicamus? Atque haec quidem si bene inter se cohaerent, vitium latere in proximis: *Romani quinquaginta* fieri non potest quin dicamus. Neque haec pari nituntur librorum fide. *Romani l* in uno P. inventum est ita tamen ut littera *l* manu secunda inducta sit, in C M cant. codd. nullum hoc altero loco numeri apparet vestigium. Iam vero cum in Berol. libro scriptum sit *romanorum nullus*, fontem corruptionis simul et verae scripturae vestigium mihi invenisse videor. Proximi enim enuntiati primum vocabulum cum sit *imber*, non dubito quin scribendum sit *Romani nulli. imber* cet., ita ut illud *nulli* a duabus extremis litteris vocabuli *Romani* et prima nominis *imber* ita absorptum sit ut in P. nihil iam nisi *l* restet. Nam libro Berolinensi quin manus emendatrix admota sit mihi non est dubium. Sed quominus locum persanatum esse statuamus, unum obstat, quod iam Heusinger, Livii interpret, perspexit Fabrii sagacitas. Etenim illud *haud plus* nullo modo videtur stare posse, quod si illa vocabula integra et incorrupta esse iudicamus Livium existimasse dicendum est minorem fuisse caesorum numerum quam expectari potuit, id quod ab totius loci sententia mihi prorsus videtur esse alienum. Quare sive contrarium eius quod modo vidimus irrepsisse vitium dixeris natumque esse illud *haud* sive *haut* e postremis litteris verbi *ceciderunt*, quod eo facilius fieri potuit, cum illam particulam a librariis saepissime cum *aut* confusam esse satis notum sit, sive existimare mavis vocabulum *amplius* quod initio scriptum erat paullatim depravatum in *haud plus* abisse, locum ita scribendum esse censeo: *tamen Poenorum prima eruptione percussi ceciderunt plus (sive amplius) quam triginta, Romani nulli*. Quanquam Livius modicum certamen fuisse scribit, quo animi inritati sint, tamen Poenorum prima eruptione percussos plus triginta cecidisse, quem numerum pro rerum conditione cum primo impetu caesi sint, ex Romanis autem nullus ceciderit, Livius non exiguum fuisse, id est, aliquot caesos esse eo magis potuit dicere, quod Marcellum *cum paucis et novis militibus* Nolam tutari Hanno ut paullulum rem auxerit, a fide tamen non prorsus abhorrens dixit c. 43. Ut ratio autem impar ac discrepantia cum maiori etiam vi declararetur Livius mihi videtur scripsisse: *Romani nulli*. Conf. Hirt. belli Alex. c. 10: *nullis nostris militibus impositis*. Restat ut dicendum esse videatur Guil. Weissenborn. Liviana verba censuisse ita restituenda esse: *ceciderunt amplius trecenti* reliquis non mutatis (conf. Alschefski tom. III p. 872), quod cur mihi non probetur intelligi licet ex iis quae supra disputavi.

Cap. VIII.

Adiungere placet alterum Livii locum in quo aut interpretando aut corrigendo quae ab aliis allata videbam mihi probata non sunt. Decemviri qui in alterum annum creati erant,

cum suo tempore magistratu se non abdicassent, incursionibus populorum finitimorum in agrum Romanum factis pavore percussi in curiam patres consultum quid facto opus esset citarunt. Tum vero M. Horatius Barbatus et alia et haec ferociter dixit III 39: *superbiam violentiamque tum perosos regis; quae si in rege tum eodem aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in tot privatis?* Veterum editorum cum nullus, quod sciam, in his verbis haesisset, J. Bekker illa *tum eodem* inclusit uncis, quos Alschefski. adnotans in PM et reliquis codicibus ita legi ut supra scripsi removit hac interpretatione subiecta: 'Wenn ein solches Betragen nun schon an einem Manne, der damals zugleich der König war, nicht habe ertragen werden können, wer u. s. w.' Atque Bekkero ut non facile futurum esse censeo qui assentiatur, cum intelligi nullo modo possit, unde factum sit, ut illa verba quae induxit Livianis inferrentur, ita eam quam Alschefski. iniiit difficultatis interpretando removendae rationem nemini probatum iri existimo. Quid enim ille, qui idem rex erat, praeterea fuit? Nonne id quam maxime dici opus erat? Atque id ipsum, quod rex erat ille in quo talia ferenda non fuisse Barbatus ait, nonne gravissimum erat? Quae cum ita sint, quod vitiosi in hoc loco inesse mihi persuasum est, id alio modo tollendum esse censeo. Mea enim sententia TUMEODE depravata sunt ex TUNC UNO. Haec si reponentur, id quod sententia opposita *in tot privatis* postulat habebimus.

Cap. IX.

In Ciceronis libris, qui inscripti sunt Tusculanae disputationes, tot viri ingenii acumine iudicandique subtilitate atque accurata doctrina insignes operam suam studiumque collocarunt, ut a multis quibus olim obruti erant mendis satis liberati ac purgati, eorumque intelligentia mirum quantum aperta et illustrata sit. Illis quidem viris etsi nemo facile erit qui speret fore ut maiora etiam praestando iustam debitamque laudem praeripiat, factum tamen esse nemo mirabitur, ut qui ingenio et doctrina multo inferiores essent, si oculos animumque in uno quodam loco acriter intenderent, operae pretium fecisse putandi essent. Atque, nisi omnia me fallunt, etiamnunc loci restant aut dubiae scripturae aut parum exploratae interpretationis, in quibus vires laudabiliter exerceri possint. Quod num mihi contigerit in ea quam ex illis libris aut emendandi aut explicandi sumam materia, hoc iudicium penes eos erit, qui in his rebus sunt me sollertiores.

Cicero postquam quid esset animus magnam dissensionem esse dixit, aliorumque de hac re quae sententiae essent attulit ita pergit I 9, 19: *Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant nomen.* Hoc enim modo in codicibus longe praestantissimis, velut Reg. 1, Bern. Vatic. aliis scriptum est; in codice autem Fabricii vetustissimisque editionibus postrema haec sunt: *ut fere nostri declarant nominari.* Quae cum apertum sit esse corrupta, alii ad aliam delati sunt coniecturam. Ac Davisius quidem et Bentleius legendum esse censuerunt: *Animum autem alii animam, ut fere nostri: declarat nomen.* Hoc autem Tredgero nuperque R. Klotzio priore sententia mutata in libro qui inscribitur: Archiv für Philol. und Paedagog.

vol. XV, p. 480 probatum alii quod ex Ciceronis usu oratio hic sine coniunctione esse non posset reiecerunt. Aliam viam ingressus est Fr. Aug. Wolfius e coniectura scribens: *Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant nomine*; qua tamen vereor ut eo quo opus est deducamur. Neque enim facile est ad intelligendum, quid si haec vera esset scriptura illud *fere* sibi vellet. Atque haud scio an Lambinus linguae latinae scientia iudiciiue subtilitate praestans hoc senserit ipse scribens: *animum autem animam nostri declarant*; et Klotzius Wolfii auctoritatem olim secutus tamen reddidit vi vocabuli *fere* prorsus ommissa: 'Andre halten den Athem für die Seele, wie dies unsre Landsleute durch den Namen zu erkennen geben.' Neque illi coniecturae multum favet ipsum dicendi genus. Quanquam Plinius N. H. XXXIII 6 scripsit: *cuius licentiae origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat*, quem locum indicavit Klotz. *Addend. ad Cic. disp. Tusc. p. 211*, Cicero tamen alio modo loqui solet. Conf. T. d. III 5, 11: *Totum igitur id, quod quaerimus, quid et quale sit verbi vis ipsa declarat*; de divinat. I 42, 93: *Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant*; de fin. III 4, 14: *erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus*. Huc accedit, quod ea quae sequuntur numerum pluralem postulare videntur. Quae cum omnia colligo, facere non possum quin a Wolfii aliorumque qui hunc secuti sunt sententia recedam. A Cicerone enim profectum esse existimo hoc: *Animum autem alii animam, ut fere nostri; id declarant nomina. Id inter nostri et declarant* intercidit, quod horum vocabulorum postrema et prima eadem sunt litterae. Hoc autem modo si scribitur, neque sententiae carent vinculo suo, et memorabilis scripturae *nominari* origo multo facilius quam ab aliis factum est mihi videtur explicari posse. Quot autem loci simili modo librariorum negligentia nimiaque festinatione depravati sint, id nemo qui aliquam his rebus impendit curam nescit. Ut unum alterumve locum ex ipsis Tuscul. disputationibus afferam, non iam dubitatur quin III 6, 12 praepositio *in* exciderit inter *qui* et *nostra*, et F. A. Wolfius I 43, 104 pro iis quae corrupte in optimis libris leguntur *et is quidem sentiens* egregie restituerit *et is quidem idem sentiens*, et Wopkens. lect. Tull. p. 94 edit. Hand. recte inseruerit II 27, 67 inter *praedones* et *insequantur* particulam *si*. Ipse iis quae iam sequentur hoc modo duo alios Ciceronis locos tentabo in integrum restituere.

Cap. X.

Cicero T. d. III, 8 quo loco eam virtutem, quam Graeci *σωφροσύνην* vocant latine frugalitatem recte appellari posse demonstrare conatur post alia ita pergit: *reliquas etiam virtutes frugalitas continet. Quae nisi tanta esset et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere laudatum. Sed quia nec qui propter metum praesidium reliquit, quod est ignaviae; nec qui propter avaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae; nec qui propter temeritatem male rem gessit, quod est stultitiae, frugi appellari solet: eo tres virtutes, fortitudinem iustitiam prudentiam, fru-*

galitas complexa est (etsi hoc quidem commune est virtutum; omnes enim inter se nexae et iugatae sunt); reliqua igitur et quarta virtus ut sit ipsa frugalitas. Ita hunc locum in praestantissimis codicibus scriptum invenimus. Atque cum verba postrema *reliqua igitur* cet. perquam sane multi alio modo sanare tentaverint, in iis quae supra scripta sunt, si ab uno discesseris Nissenio, nemo exstitit qui haeserit. Sed quae tandem est haec ratio: quia is qui propter metum praesidium reliquit, frugi appellari non solet, eo fortitudinem frugalitas complexa est. Equidem scio in his libris nonnulla esse scripta non sine aliqua festinatione ac negligentia, alia etiam parum distincte ac subtiliter, quale est illud II 18, 43: *Quod ergo et postulatur a fortibus et laudatur cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est?* a Madvigio de fin. praef. p. LII acute exagitatam, sed hoc loco Ciceronem tam socordem fuisse, ut suam ipse rem perverterit, id a me ut crederem impetrare non potui. Quam maxime enim id agit ut efficiat, frugalitatis nomine, etsi interdum id latius pateat, accommodatissime tamen appellari unam illam virtutem, quam Graeci σοφροσύνην vocent, neque vero quod illo nomine omnes virtutes contineantur, ideo frugalitatem complecti eam, quam tum temperantiam alias modestiam appellaverit. Neque in illa scriptura quae ratio idonea particulae *sed* redderetur intelligere potui. Quae cum ita sint, locum depravatam esse mihi persuasi, scribendumque esse censeo *frugalitas non complexa est.* Iam haec erit sententiarum ratio. Frugalitate omnis quidem abstinentia, omnis innocentia, reliquae etiam virtutes continentur, sed hoc nomen proprie tamen fortitudini iustitiae prudentiae non attributum est; etsi id mirum esse non posset, cum sit una virtus, eiusque partes ita inter se nexae, ut qui unam habeat reliquas etiam habere debeat (conf. Kuhner de Ciceron. in philosoph. meritis p. 230); quae igitur una reliqua est praeter illas tres, quartae sive Graecorum σοφροσύνη respondere videtur. Si vel sic remanent et in oratione conformanda et in ipsa re demonstranda quae aliquo modo impedire possint, ea mihi videntur et facilius excusari posse, neque esse graviora quam quibus totum hoc caput laborat. Sed quod maximum est, argumentationis via patet haec: Quantumvis frugalitas late pateat, tamen eo nomine virtutes vitiis ignaviae iniustitiae stultitiae contrariae non appellantur. Reliquum igitur videtur esse ut frugalitas quarta sit virtus. Non autem ante *con* propter similem litterarum ductum facillime potuisse excidere nemo iam mirabitur. 'Animadversum est, scribit Lambinus *Emendatt. Tull.* pag. 249 ed. Klein., in libris veteribus saepe positum esse *non* pro *con* seu *cum*, et contra *con* pro *non*, quod in Lucretio demonstravi, saepe etiam non esse positum cum sequeretur *con* errante scilicet librario propter similitudinem syllabarum.' Conferri cum his ea possunt quae Madvig. exposuit de fin. praef. p. L. — Restant postrema verba, quae vitiosa esse nemo non videt. Quid alii tentaverint non lubet afferre cum iusto longius a codicum vestigiis recedat, quae quantum fieri potest persequens repono equidem haec: *reliqua igitur et quarta virtus sit ipsa frugalitas.* Particula *ut*, quae in libris post vocabulum *virtus* legitur, vel ex huius ipsius nominis postremis litteris orta est, vel ut vis coniunctivi patefieret addita. Cicero, qui quae frugalitatis vis esset bene sensit, cum eam σοφροσύνης angustiis coercere conclusionis genere quodam modo coactus esset, ipse fluctuare

coepit ac dubitanter loqui non alia sententia atque supra scripsit: *sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit.* Neque ad ea quae consequuntur non attendendum est: *Eius enim videtur esse proprium, motus animi appetentes regere et sedare cet.* Ita Cicero disseruit cum iam loquendi consuetudinem ad artis scientiam detorquere atque interpretari studuit.

Cap. XI.

Orationis Sestianae c. III haec Cicero scripsit de P. Sestio: *Eo (patre) auctore duxit honestissimi et spectatissimi viri, C. Albini, filiam, ex qua hic est puer et nupta iam filia. Duobus his gravissimae antiquitatis viris sic probatus fuit, utrique eorum ut et carus maxime et iucundus esset. Ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et benevolentiam non ademit. Hodie sic hunc diligit, ut vos facillime potestis ex hac vel assiduitate eius vel sollicitudine et molestia iudicare. Duxit uxorem patre vivo optimi et calamitosissimi viri filiam L. Scipionis. Illa duxit uxorem cet.* quin cum superioribus non Ciceroniana arte coniuncta cohaereant, neque satis graviter addantur de ea re neminem fore speraverim qui cum paullo acrius attenderit dubitet. Quare suspicari quis possit sola librariorum culpa atque indiligentia vocabulum quoddam excidisse, cum exploratum iam habeamus in hac ipsa oratione describenda non semel id factum esse; sed magis tamen animus inclinatur ut vocem *iterum* propter similitudinem atque adeo earundem litterarum concursum inter *duxit* et *uxorem* paulatim prorsus evanuisse existimem.

Cap. XII.

Cicero ubi quae in hostes servanda essent iustitiae officia exposuit ac belli aequitatem sanctissime fetiali populi Romani iure perscriptam esse dixit, hoc ipsum ex consuetudine qua et in aliis libris et in iis qui sunt de officiis uti solet illustrasse et confirmasse putatur his exemplis I. I c. 11: *Popillius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Popillio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popillium scripsit, ut si eum patitur in exercitu remanere secundo eum obliget militiae sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. Adeo summa erat observatio in bello movendo. Marci quidem Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caveat ne proelium ineat. Negat enim ius esse qui miles non sit cum hoste pugnare. Haec autem eiusmodi sunt ut non facile quisquam qui paullo attentius legerit et consideraverit ea nihil offensus dimittat. Ac cum viros doctos viderim etiamnum in plane diversas de hoc loco discedere sententias neque ad exitum perduxisse quaestionem, rem quasi integram retractare visum est atque experiri num*

possem profligare. Quod ne frustra succedat, et res et verba spectanda sunt. Cicero igitur ex fetiali iure perscripto intelligi posse postquam significavit nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis gereretur aut denuntiatur ante esset et indictum, Cato ille Censorius quid fecerit cum filius eius qui militabat ab imperatore dimissus esset commemoratur. Sed haec parum inter se cohaerent, neque generalis quae posita erat sententia de bello aut iuste aut iniuste inferendo exemplis comprobatur, id quod quam maxime expectaveris, sed miles quidam unus quando cum hoste iure pugnare non possit edocemur. Nam C. Beierum cum in eo quem fecit 'conspectum rerum' suae de officiis editioni additum tom. I p. XIX haec summam exposuit: 'Vult autem iustitia ad officia bellica relata, ut belli colatur aequitas, fetiali iure perscripta; quod iubet α) ut rebus repetitis bellum geratur aut denuntiatur ante sit et indictum; β) ut qui miles non sit, nullum ius habeat cum hoste pugnandi.' seiungentem quae cohaerent a vero paullum deflexisse haud ita difficile mihi videtur ad demonstrandum et intelligendum. Nam Cicero, ab hoc enim interim omnia opinemur profecta esse, paullo infra ad eam quam supra posuerat sententiam quodam modo revertens haec universe pronuntiavit: '*Adeo summa erat observatio in bello movendo;*' quae tamen ipsa quod Catonis litteris nihil de bello concitando continetur multum habent offensionis, ita ut Lambinus, vir usus et consuetudinis sermonis Latini in primis peritus, cum quam haec inter se connexa et apta non essent sensisset, non sine causa in verbo movendo haeserit. Nam quos J. Fr. Heusinger attulit locos Livii IV 58, 6: *Veiens bellum motum*; VIII 6, 5: *Di-pium movere bellum*; Virgil. Georg. I 509: *Hinc movet Euphrates illinc Germania bellum*; Hor. carm. IV 1, 2: *Intermissa, Venus, diu rursus bella moves?* Ovid. Amor. III 12, 4: *Quosve deos in me bella movere querar?* his omnibus locis *bellum movere* esse idem quod *concitare* vel *ciere*, neque, quae Heusingeri est opinio, etiam *gerere*, et ipsa verbi vi patet, et ex illis qui prolata sunt locis, si sententiarum contextus qui sit spectatur, intelligi potest. Nec tamen ulla idonea ratio cur Lambini auctoritatem secuti statuamus illud verbum quod in libris manuscriptis legitur omnibus a quopiam Ciceronis verbis postea additum esse excogitari potest. Iam vero in ipso narrationis initio novae difficultates oboriuntur. Neque enim ille in cuius exercitu M. Catonis filius dicitur militasse quis fuerit satis constat. Nolo urgere in multis non malae fidei codicibus et libris vetustis non *Popillum* sive *Popilium* inveniri, sed vel *Pompillium* vel *Pompilium*. Et hoc quidem scriptum exstat in eo quoque libro, qui a. 1481 Romae typis descriptus est, qua nitida editione, quae est bibliothecae Trevirensis, mihi ipsi uti licuit. Sed fac *Popilium* sive *Popillum*, id quod plerique qui Ciceronis de officiis libros ediderunt arbitrantur, veram esse scripturam, cum e gente Popillia plures illo ipso tempore clari essent, summosque magistratus gererent, M. Popillius enim Laenas a. u. c. 581 consul fuit, proximo anno eius frater C. Popillius, num Ciceronem tam ambigue et contra suam consuetudinem, quae qualis esset et quam late pateret copiose expositum est a Fr. Ellendt. explic. ad Cic. de Orat. III 1, 4. illum hominem significasse existimandum est? Ne hoc quidem fugit Lambinum qui latine sciebat, addendumque censuit praenomen Marci, quod cum proximum vocabulum sit *indictum* littera *m* terminatum equidem si locus

quo de agimus nullas alias haberet suspiciones, neque novae quas paullo infra persequemur difficultates M. Popillio adversarentur non improbarem. Nunc vero hac ipsa indiligentia ut verum scriptorem deprehendamus leve quoddam indicium contineri videtur. Neque distinctius dicta videntur esse quae sequuntur: *imperator tenebat provinciam*. Is enim cui haec debemus, qua est taciturnitate atque orationis brevitate, quam tenuerit Popillius provinciam memoriae prodere operae pretium non esse existimavit. Intelligunt, siquidem fuit M. Popillius Laenas, Liguriam, quae quanquam utriusque consuli a. 584 L. Postumio Albino M. Popillio Laenati decreta est a Postumio Albino ad agrum publicum a privato terminandum postea in Campaniam ire iusso ne visa quidem est. Conf. Liv. XLII c. 4 et 9. Iam res a M. Popillio contra Ligures gestas Livium ducem sequentes quam fieri potest brevissime percenseamus. Is igitur in agro Statellati atrociter cum Liguribus pugnavit, qui cum multi essent caesi non pauci capti consuli nihil pacti sese dederunt sperantes non atrocius quam superiores imperatores consulem in se esse saevituros. 'At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque eorum vendidit.' Senatui autem cum litteris a consule ipso missis certior de ea re factus esset atrox visum est, quod dediti in fidem populi Romani omni ultimae crudelitatis exemplo lacerati ac deleti essent. Quare placuit senatui M. Popillium consulem Ligures pretio emptoribus reddito ipsos restituere in libertatem bonaque ut iis quidquid eius recipere posset redderentur curare, nec ante consulem de provincia decedere, quam deditos in sedem suam Ligures restituisset. Consul cum legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis iratus Romam contendisset senatumque vocasset nihilo lenioribus quam absens senatorum aliquot orationibus increpitus in provinciam rediit. Insequenti anno alter consulum C. Popillius erat. Qui ubi pro fratre M. Popillio deprecatus est, cum collegam deterrendo in suas partes traxisset, patres eo magis utriusque pariter consulum infensi in incepto perstabant, Liguresque ambobus consulibus decernunt Macedoniam quae iam imminente Persei bello petebatur decreturos negantes nisi de M. Popillio referretur, postulantisque deinde ut novos exercitus scribere aut supplementum veteribus liceret utrumque negatum est. Quae cum ita essent consules Romae permanebant. M. autem Popillii proconsulis invidia etiam aucta est, cum iterum se cum Statellis Liguribus pugnasse magnamque eorum numerum occidisse scriberet. 'Tum vero non absens modo Popillius sed consules quod non exirent in provinciam in senatu increpiti. Hoc consensu patrum accensi M. Marcius Sermo et Q. Marcius Scylla tribuni plebis rogationem quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent in senatu recitarunt. Sanciebatur ut qui ex Statellis deditis in libertatem restitutus ante calendas Sextiles primas non esset, cuius dolo malo is in servitum venisset, ut iuratus senatus decerneret qui eam rem quaereret animadverteretque. Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt.' Eam autem rogationem magno consensu plebes scivit iussitque. Ac patres C. Licinium praetorem quaerere iusserunt. Tum demum consules in provinciam profecti sunt exercitumque a M. Popillio acceperunt. Neque tamen M. Popillius reverti Romam audebat ne causam diceret. Ac cum tandem alterius rogationis denuntiatione invitatus Romam tractus esset, ingenti cum invidia in senatum venit ibique laceratus iurgiis

multorum est, illa autem rogatio de Liguribus nisi arte fallaci elusa non est. Ex his quae ad verbum fere, ne quid a vero detorsisse viderer, e Livii libro XLII attuli ad rem de qua agimus recte iudicandam aliquid momenti videtur peti posse. M. enim Popillius, cui duae legiones decretae erant (Liv. XLII c. 1), illa autem in agro Statellati victoria non incruenta fuit, cum amplius tria milia militum amissa essent (Liv. ibid. c. 7), quando audere potuisset unam legionem dimittere equidem intelligere non possum. Quae enim G. H. Martinium et J. G. Lindnerum, quorum tamen neutrius de hoc Ciceronis loco commentationes ut inspicerem mihi contigit, Beier scribit statuisse cum Popillius Roma in provinciam redisset legionem illam dimissam esse, a qua sententia non distat J. Fr. Heusinger, ea mihi cum ideo quod Livius prorsus nihil de hac re prodidit probanda non videntur, tum quia imprimis post ea quae Romae expertus erat, alia vix dubium esse potest quin Popillius in Ligures agitaverit hostilia, aut suspicatus sit Ligures rebellaturos esse, quibus alteram scimus a Popillio postea allatam esse cladem. Huc accedit quod Liv. c. 27 scribit C. Licinium praetorem a C. Popillio secundam quae in Liguribus esset legionem ex senatus auctoritate postulasse. Quae autem haec si reputaverimus de M. Popillio suborietur dubitatio ea aliis etiam rationibus augetur. Nam cum is summa flagraret invidia et odio, acerbissimis in senatu iurgiis et criminationibus peteretur, in eumque et vehemens scisceretur rogatio et senatus consultum fieret, num putandum est M. Catonem gravem illum virum ab eiusmodi hominis stetisse partibus ac permisisse filio suo, cum dimissus esset, ut diutius apud eum militaret, 'qui deditis contra ius ac fas bellum intulisset et pacatos ad rebellium incitasset?' Quae cum ita sint nullo iam modo M. Popillius videtur retinendus esse. Neque tamen si ad C. Popillium confugerimus res nobis erit expeditior. Continuo difficultate quadam illa verba: 'imperator tenebat provinciam' non carere videntur. Haec enim de M. Popillio putaverim in eandem accipi potuisse sententiam, qua scriptum est apud Ciceronem epist. ad fam. I 9, 2: *tua quidem causa te esse imperatorem provinciamque bene gestis rebus cum exercitu obtinere ut debeo laetor*. Quanquam haud scio an sint qui cum nihil prorsus a Livio proditum sit, illum appellatum esse imperatorem, hoc non sine ratione aliqua improbent. Sed C. Popillius qui nihil memorabile in suo consulatu gessit, exasperatosque Ligures sedabat (Liv. c. 26) qui fieri potuit ut provinciam tenuisse diceretur idque imperator? Nam Cicero si imperatorem intelligi voluisset eum, qui cum imperio esset missus, non dubium mihi videtur, quin consulem dixisset. Deinde tiro ille Catonis filius vix conciliari potest cum C. Popillio. Huic enim eiusque collegae cum non permetteretur ut novos exercitus aut supplementum veteribus scriberent, nullos alios in provincia habuerunt milites nisi quos acceperant a M. Popillio; sub hoc igitur non sub eius fratre Catonis filius dici potuit tirocinium posuisse. Quod in legione illa dimissa impeditum fuit, facilius si C. Popillius intelligendus esset videretur removeri posse, sed videretur tantummodo. Etenim cum belli Persici apparatus non differendum censerent patres, Cn. Licinius praetor C. Popillio consuli ex auctoritate senatus scribit, ut legionem secundam quae maxime veterana in Liguribus erat Brundisii adesse iuberet. Qui igitur vel minimum est veri simile Catonis filium si tanta pugnandi cupiditate

tenebatur apud eum imperatorem, cuius milites tumultus ac rebellionem comprimendi fortasse aliquam, nullam habebant occasionem cum hoste in acie configendi, remanere maluisse, quam cum commilitonibus in bellum proficisci in quo decora militiae edi poterant. Iam in Marco et Gaio Popilliis fratribus omnia haerere et impedita esse vides. Nam M. Popillium consularem quem cum aliis pari nobilitate adolescentibus tribunum militum in Macedonicas legiones Q. Marcium Philippum consulem a. u. 585 secutum esse scribit Livius XLIV 1 init. intelligi non posse per se patet; itaque reliqua persequamur. Quamdiu aliqua libris scriptis in hoc loco tribuitur fides et auctoritas facere non possumus quin Car. Langii et J. Fr. Heusingeri rationem amplexi statuamus bis accidisse ut dimitteretur Catonis filius et a Popillio aut Pompillio et bello Macedonico. Hunc autem cum dubitari non possit quin C. Tim. Zumptius iure putaverit admirabilem fuisse casum, factum est ut viri docti certatim a conjecturis aliquid auxilii peti posse arbitrarentur. Qui autem, ut hoc loco unius eiusdemque missionis facta esset mentio, opinantur in Popillio nominando Ciceronem lapsum esse memoria, ii minime sunt audiendi, quod saepissime Persen ab Aemilio Paulo devictum esse ille commemoravit; de qua re qui cupiet locos videre poterit collectos apud Orellium *Onomast. Tull.* p. 16 sq. Non melius res cessit Gronovio, cui tamen assensit Perizonius *animadv. histor.* c. 10, pro Popillio substituenti A. Hostilium qui a. u. c. 584 in Macedonia bellum administravit. De hoc enim ne cogitetur id obstat quod idem in omnes qui bello illi Persico praepositi erant cadit. Nam cum Aemilius Paullus in contione a fide non abhorrens praedicaverit bellum Macedonicum per quadriennium quattuor ante se consules ita gessisse ut semper successoribus traderent gravius (Liv. XLV 41), tantum abfuisse ut tota legio dimitti posset, ut novi quotannis exercitus supplementumque scribenda essent, alii iam recte viderunt. Et ne ab Aemilio quidem Paulo qui gravissimum illud bellum quindecim diebus confecit unam legionem esse dimissam veri simile esse satis probabiliter exposuit Beier tom. I p. 343. Huc accedunt alia non leviora. In pugna (ad Pydnam facta) M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus pedestre proelium aggreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore veluti iacentem obruncaturus circumsteterat: at ille citius corpore collecto magnas strages edidit. Cum ad unum opprimendum undique hostes convolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei e manu elapsus in mediam cohortem hostium decidit, ad quem recipendum umbone se protegens inspectante utroque exercitu inter mucrones se hostium immersit, recollectoque gladio multis vulneribus exceptis ad suos cum clamore omnium revertitur. Haec Justinus XXXIII 2, quocum conferantur Plutarch. vit. Aem. Paulli c. 21 et vit. Cat. mai. c. 20, Val. Max. III 12, 16, Frontin. Strateg. IV 5. Quodsi Catonis filius a consule missus factus esset, id dubium mea quidem sententia esse non potest quin non ideo quod in ea quae dimittebatur legione militabat factum esset, sed ut vulnera quae gravissima ei inflixa erant sanaret, Cato autem pater, quem fugere non poterat ad Pydnam decertatum esse, si filium graviter vulneratum per litteras admonisset ut caveret ne proelium iniret, quod qui miles non esset cum hoste pugnare ius non esset, rediculus sane foret. Hoc incommodum et alia quae in missione

bis facta insunt Gernhardus eique assentiens C. Tim. Zumptius sublata putarunt eiectis verbis: *cum in Macedonia Persico bello miles esset*; modo ne ita ad Popillios et ad eas difficultates revolveremur quae praeterea in hoc loco resident.

Postquam quae et in hominibus et in rebus impedita essent exposuimus, restat ut indagemus num in verbis nihil insit quod cum Ciceroniano dicendi genere discrepet. Eiusmodi autem est quod si optimorum codicum, Gu. secund. Bernens. a b d fidem sequendam duximus facere non possumus quin, ut feci, scribamus: *si eum palitur*, id quod a Ciceronis consuetudine abhorre sciunt periti. Neque militiae sacramentum mihi notum est num aut Cicero alias aut ex iis qui optimi habentur latinitatis auctores aliquis dixerit. Sed si quis quod est apud Plinium epist. 38 l. X et Val. Max. V 2, 2 *militare sacramentum* afferat, ut ei liberaliter concedamus ita dici potuisse, hoc tamen loco illud militiae commode abesse posse facile assentimur J. Fr. Heusingero. At qui sacramento non iam tenetur quomodo dici potest sacramentum amisisse? Hoc mea quidem sententia a Ciceronis genere dicendi tam alienum est ut quod in Gu. quinto transpositum est: *priore iure amisso*, aut quod J. Fr. Heusinger censuit interpunctione mutata *iure* cum verbis quae antecedunt coniungendum esse non cum iis quae sequuntur arbitraret, si in loco quem prorsus certum esset Ciceronis esse versaret, amplectendum esse, nisi, quod Zumptius sobrie et intelligenter iudicavit, hoc loco *priore* nimis perspicue referri ad *sacramentum*, nec debuisset illa: *pugnare poterat* sic nude poni, id verum esse nimini non posset liquere. Beier rationem Heusingeri recte ille quidem improbavit, sed quo id fecit modo Ciceroni parum consuluit. Nam *sacramento amisso* explicandum non erat loco Tacitino hist. III 42: *Haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat*, ubi *sacramentum nondum exuerat* idem fere esse patet quod *sacramentum servabat in fideque perstabat*, neque quod apud Quint. declam. 17, 18 est: *Ablata sunt sacramenta pereundi* si sententia dictum esset simili, quod non est, inde effici potest talem verborum insolentiam placuisse Ciceroni. Personatus autem ille Cicero cum tam manifestis deprehendatur indiciis, mirum sane est deceptos tamen esse nonnullos homines non mediocri sermonis latini scientia instructos. Tale quid in verbis proximis accidit. Quae enim Beier adnotavit, *adeo* cum superlativo aequae ex media esse latinitate ac *tam*, si iis putavit quae hoc loco leguntur comprobatum esse ea non recedere a Ciceronis usu et consuetudine, non satis percepisse censendus est particulae vim, quae qualis esset optime expositum est ab Handio Tursell. I p. 143 seqq. unde facile intelligitur Livii verba IV 54, 4 *avidissimi adeo populo ostentantes* ab eo de quo disserimus loco prorsus differre. Aliam explicandi viam ingressus est Stürenburg, qui *adeo* ad verbum *movendo* censuit referendum esse, ut sententia esset verbis nostri sermonis reddita: 'Sogar bei Erregung eines Krieges herrschte die grösste Gewissenhaftigkeit.' Sed haec ratio qua nova inde ab *adeo* inferretur sententia ita contorta est, ut mirum sit eam Seyfferto olim in iis quae ad Ciceronis libellum qui est de amicitia p. 149 commentatus est placuisse. Quae cum ita sint dubium esse non potest quin qui hunc locum ad illud genus dicendi rettulerint quo illa particula proponendae

sententiae sive, ut cum Quintiliano instit. orat. VIII 5, 11 loquar, epiphonemati inserviat, de vi quae hoc loco subiecta sit illi *adeo* recte statuerint. Conf. Hand. Turs. I p. 152. Qui autem illum quem dixi huius particulae usum ex hoc ipso loco a Ciceronis consuetudine dicendi non abhorreere efficere conati sunt, in quo numero sunt Naegelsbach. in libro quem inscripsit: Lateinische Stilistik für Deutsche p. 531 ed. II; Seyffert l. d. p. 571 alii, horum sententia tantum abest ut comprobari possit, ut, quod particulam ea quam supra significavi vi praeditam esse nullo alio loco apud Ciceronem, non ita raro apud posteriores scriptores invenimus, hoc ipsum etiamsi aliae non accederent causae aliquam iniicere debuisse arbitror dubitationem, num de quo agimus loco is Ciceronis esset. Id autem mirum esse non potest illo particulae usu abstinuisse Ciceronem, cum eundem idem vocabulum angustioribus quam posteriores scriptores significationis finibus continuisse sciamus. Conf. Hand. l. d. p. 141 et 150.

Quod scimus fere fieri ut ad hominem qui diu dolose ac fallaciter egerit ubi semel fraudem odorari coepimus arguendum undique multae res concurrant, idem quodam modo mihi videtur hoc in loco accidere. Neque enim sine causa mihi videor haerere in vocabulo *observationis*, pro quo haud scio an Cicero usus esset religione, nam aliam esse apparet huius nominis vim Brut. IX 33: *Verum tamen natura magis tum casuque nonnunquam quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat*, quem locum parum apte Heusinger contulit, eique non ita dissimilis est de off. II 24: *Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse*. De *movendo* cum supra satis dictum esse putemus, id addendum est, quod non fugit Gernhardum, totam sententiam, quae verbis *adeo* — *movendo* enuntiatur, si a Cicerone, optimo orationis artifice, profecta esset, exemplis unde efficeretur non mediam fuisse interponendam sed in fine collocandam. Verba quae sunt proxima *Marci quidem Catonis* non libentioribus excipimus auribus oculisque perlustramus, cum ab hoc loco prorsus alienum sit Marcum Catonem vocabulo *quidem* maiore quadam vi efferre, ita ut alii cuidam oppositus videatur. Atque hanc ipsam ob causam ab iis dissentio qui Ciceronem a Marco Catone patre eodem tempore in eandem fere sententiam et ad consulem et ad filium litteras esse datas arbitrantur. Ciceronem enim non adducor hoc non clarius et diligentius atque *adeo* maiori significasse artificio.

Haec omnia quae disserui si considero atque complector, ad eorum accedere non possum sententiam qui putant aut consulis nomine mutato aut nonnullis verbis veluti: *Adeo summa erat observatio in bello movendo*, aut: *cum in Macedonia bello Persico miles esset*, aut tota altera epistola resecta incommoda et difficultates quae in hoc loco insident esse remota et sublata, arbitrorque hunc in modum quaecunque tentata sunt iis nihil effectum esse nisi ut tandem pateret gravius hic vulnus latere cui non possemus mederi nisi illud praeceptum sequeremur, quo quae sanari non possunt resecare iubemur. Quae Cicero igitur generatim atque universe iudicaverat, nullum bellum esse iustum nisi quod aut rebus repetitis gereretur aut denuntiatum ante esset et indictum, ea exemplis illustranda ac comprobanda esse aliquis ratus verba, quae post verbum *indictum* usque ad finem capituli leguntur, cum aut non intel-

ligeret haec esse quam maxime inepta aut quod meliora non haberet et sciret adscripsit. At enim omnis nostra disputatio labefactatur Plutarchi auctoritate, 'qui — sunt haec verba Gernhardi — hanc Catonis ad filium epistolam eandem ob causam commemorat in Quaest. Roman. p. 273 E et consulis et terrae et belli nomine omissa, ut videatur nostrum locum expressisse glossemate isto (intelligit verba: *cum in Macedonia Persico bello miles esset*) nondum corruptum.' Quod quale sit ut pateat Plutarchi locum opus est transcribi: *Διὰ τί τοῖς μὴ στρατευόμενοις μὲν ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἄλλως ἀναστρεφόμενοις οὐκ ἔξην ἄνδρα βαλεῖν πολέμιον οὐδὲ τρωᾶσαι, καὶ τοῦτο Κάτων ὁ πρεσβύτερος ἐν ἐπιστολῇ τινὶ διεδήλωκε γράφων πρὸς τὸν υἱὸν καὶ κελεύων, εἰ παρεδείη τῆς στρατείας ἀποπληρώσας τὸν χρόνον, ὑποστρέφειν, ἢ προσμένοντα λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τὸ ἐξεῖναι τρωᾶσαι καὶ ἀνελεῖν πολέμιον, ὅτι τὴν ἀνάγκην μόνην ἐξουσίαν εἶναι δεῖ τοῦ ἀνελεῖν ἄνθρωπον.* Cum id quam maxime mirum foret, si M. Catonis filius nimia quadam pugnandi ferocia abreptus per litteras bis admonendus fuisset ne contra ius cum hoste certamen iniret, dubitari illud quidem non potest quin uterque scriptor eiusdem rei mentionem faciat, sed alter tamen ab altero non paullum discrepat. Plutarchus enim nihil commemorat quo bello litterae scriptae sint, id quod fit Latina epistola, cum nullas esse idoneas rationes verba illa: *cum in Macedonia bello Persico miles esset* delendi supra videamur satis demonstrasse. Huc accedit ut scriptor Latinus Catonis filium a consule iam missum factum esse dicat, Cato autem Plutarchius filium si militiae tempore expleto dimittatur admoneat ut aut domum redeat, aut ab imperatore petat ut sibi hostem ferire et occidere liceat. Quae cum ita sint alterum tamen alterius secutum esse auctoritatem mihi quidem persuasum est. Sed in Latinis verbis cum tot quae offensionem habent invenerimus, potius e contrario eum qui haec scripsit e Plutarcho pendere statuendum erit, quae quidem ratio eo etiam aliquo modo comprobatur, quod ut rivulos et flumina quo longius a fontibus absunt eo maiorem aquae vim habere videmus, ita in Latinis verbis, praeterquam quod nonnulla immutata sunt, alia ut res et homines, ad quos ea spectat, accuratius definirentur accesserunt. Ita igitur res mihi videtur facta esse. Cum quae Cicero de bello iuste inferendo proposuerat aliquis sive Plutarchum magna socordia et negligentia aut ignorantia sive alium quendam secutus exemplo quodam comprobasset, alter non ad imperatorem sed ad filium a M. Catone litteras esse datas corrigendo addidit et quantum potuit particula *quidem* significavit. Nam equidem illos recte sensisse prorsus existimo, qui utramque epistolam non unius eiusdemque hominis esse arbitrantur, modo ne alterutram esse Ciceronianam quis inde efficere velit. Num in mente eius quisquis fuit, qui exploratiora quae proferre posset se habere opinabatur, incerta atque adeo falsa memoria haeserit loci Plutarch. vit. Cat. mai. p. 348 D: *ἐφ' ᾧ* (intelligendum est illud facinus cuius supra Iustini verba afferens mentionem feci) *καὶ Παῦλος ὁ στρατηγὸς ἠγάσθη τὸ μειράκιον, καὶ Κάτωνος αὐτοῦ φέρεται τις ἐπιστολὴ πρὸς τὸν υἱὸν ὑπερφυῶς ἐπαινοῦντος τὴν περὶ τὸ ξίφος φιλοτιμίαν αὐτοῦ καὶ σπουδὴν*, unde litteras a Catone patre ad filium in Macedonia militantem sed propter aliam atque hic affertur causam scriptas esse cognoscimus, hoc in medio relinquendum esse arbitror. Totam autem illam accessionem tempore satis antiquo

factam esse et inde patet, quod ab nullo codice abest, et quod iam Joannes Sarisburiensis, quem MCLXIV Carnuti (Chartres) episcopum constat factum esse (conf. Ger. Jo. Voss. de histor. Latin. p. 421), illum locum Polierat. VI 7 e M. Tullii libro officiorum refert.

Cap. XIII.

Cicero T. d. I 28 hoc utitur concludendi genere: ut caelum, terram, multitudinem pecudum, hominem ipsum, alia innumerabilia cum cernimus dubitare non possumus, quin iis praesit vel effector si haec nata sunt, vel si semper fuerunt moderator tanti operis et muneris, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscimus. Inter opera autem ex quibus deus agnoscatur cum Cicero commemorat *hominem ipsum quasi contemplatorem caeli ac deorum eorumque cultorem*, conclusio videtur vitio non carere. Quod Bentleius quo erat ingenii acumine iudicii que subtilitate cum animadvertisse sibi visus esset, ita scripsit: 'Locus sine dubio mendosus: quid enim? an ut homines *contemplantur* caelum et caelestia, nimirum oculis, ita et Deos possunt? Ergo dictio vitiosa est, sed multo magis sententia; quae, ut nunc fertur, *ponit sibi et sumit dari deos*, cum dicit *contemplator deorum et cultor*: atqui ipse Cicero non *ponit* esse deos, sed ex his ipsis *probat* esse: ut statim: *Haec igitur et talia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis vel effector vel moderator tanti operis et muneris?* Vides, opinor, iam dudum, quam inepte et praepostere habeant vulgati codices, *contemplator et cultor deorum*: dum in eo est auctor, ut probet, nondumque rem confecit, dari deum vel deos. Duo ex nostris codices, *ac deorum eorumque cultorem*: at Gallicus omnium veterrimus, *deorum eorum cultorem*: sine coniunctione. Repono, audaci fortasse, si litteras spectes, sed necessaria ad sententiam emendatione, *contemplatorem caeli ac terrarum cultorem, atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia*. Ut enim *Terrae cultor Exerceatque frequens tellurem, atque imperat arvis*, ita, si agri *parent* hominis utilitati, necesse est, ut prius ab homine *colantur*. Recte igitur *terrarum cultorem*. Haec Bentleii coniectura Kuhnero et Klotzio ingeniosa visa est, quanquam hic quidem alteram ipse proposuit hanc: *contemplatorem caeli agrorumque cultorem*. Conf. *Addend. ad Cic. T. d. p. 34 sq.* Iam de iis, quae ab his viris tentata non ita multum sententia inter se discrepare apparet, dispiciamus. Ac videtur mihi quidem hic recte quaeri posse, quo modo inde quod homo terrarum sive agrorum cultor sit deus agnoscatur. Nam quod Bentleius dicit, si agri *parent* hominis utilitati, necesse esse ut prius ab homine *colantur*, id ab huius loci sententia Ciceronisque consilio prorsus alienum esse nemo non videt. Neque perspicio quid homo *quasi* terrarum sive agrorum cultor sibi velit. Klotzium quidem attulit haec verba quae sunt de N. D. II 39, 99: *Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum eferari, nec stirpium asperitate vastari*. Sed hoc loco dici quivis videt, hominem qui quidem ad altiora natus sit videri tamen illud quasi proprium non fortuna et casu sed a deo accepisse munus traditum, ut terram eferari ac vastari non patiatur.

Neque vero quidquam simile eo de quo agimus loco commemoratur aut concluditur. Iam si quis ei qui verba ut supra posui a Cicerone profecta esse putet occurrerit, qui intelligendus sit homo *quasi* deorum cultor, hunc ego vicissim interrogo idem quod Socrates interrogavit Aristodemum quendam *Xenoph. Mem.* I 4, 13: *Τί γῶλον ἄλλο ἢ ἀνθρώποι θεοὺς θεράπεύουσι*; Homines igitur ex sententia Ciceronis ad deos colendos nati factique sunt non minus quam ad caelum contemplandum habentque hoc proprium quoddam, ut recte dicere potuerit Cicero illud videri eorum esse praecipuum ac solum munus ac officium. Scilicet Ciceroni ita persuasum est, homines deos esse natura opinari, qualesque sint ratione agnoscere (T. d. I 16, 36), eidemque firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Conf. T. d. I 13, 30. Iam cum raro aut nunquam is qui deos esse credit talis qualis Aristodemus Xenophonteus divini cultus contemptor atque irrisor sit, consequitur ut homines qui deorum quandam notionem in animis natura impressam habent, eadem natura duce et adhortatrice etiam sine ulla doctrina religiosi sint deosque colant. Ex hoc igitur deorum cultu, qui ut ipsa deorum opinio sua sponte non institutis et legibus natus sit, Cicero dicit via et ratione certam exploratamque de dis effici persuasionem. Sed illud etiam exquirendum est, quo iure Bentleius Klotz. Kühner in eo haeserint, quod Cicero hominem *quasi contemplatorem deorum* esse dicat. Ut nemini ineptum aut ridiculum videri existimo id quod nostrates dicere solent: Hebe deinen Blick zu Gott empor, ita vitiosum illud non esse censeo, quod homo quem di celsum et erectum constituerunt ut deorum cognitionem capere posset caelum intuens, in quo deorum esse sedem ac domicilium creditum est, quasi ipsorum deorum contemplator esse dicitur. Conf. de N. D. II 56, 140. Satis accommodate ad hanc ipsam rem scripsit Christianus ille qui dicitur Cicero, Lactantius *Divin. Instil.* I. II c. 4. (Tom. I p. 145 edit. Paris. a. 1748): *'Parens enim noster ille unus et solus, cum fingeret hominem, id est animal intelligens et rationis capax, eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit;*' idemque *Epit. divin. Instil.* c. 25 (Tom II p. 15): *'Idcirco enim ἀνθρώπος, quia sursum spectat nominatur. Sursum autem spectat qui deum verum et vivum qui est in coelo suspicit, qui artificem, qui parentem animae suae non modo sensu ac mente, verum etiam vultu et oculis sublimibus quaerit.'* — Restat ut codicum scripturae mentio facienda esse videatur. Legitur in codd. Oxonn. octo, Gud. 2, Duisb. Mon. 1, Marb. Aug.: *cont. caeli ac deorum eorumque cultorem*; in codd. Reg. Gud. 1, Vind. 2 particula *que* pronomini *eorum* adnexum deest propter duas primas ut mihi videtur litteras vocabuli *cultorem*; in reliquis libris et numero et pondere inferioribus exstat aut *ac deorum cultorem*, ita ut *eorumque* postremis vocabuli *deorum* et primis *cultorem* litteris quasi absorptum interisse videatur, aut *deorum ipsorumque cultorem*. Inde patet temeritati coniecturarum quibus viri docti in hoc loco constituendo nimium indulserunt a libris non ita magnum peti posse adiumentum.

Index

locorum qui aut emendati sunt aut explicati.

	Pag.		Pag.
Aelian. v. h. I 31	11 sqq.	Cic. de off. I 24	7
Herodot. I 28	10	pro Sest. III 6	22
I 134	7 sqq.	T. d. I 9	19 sq.
II 30	11	I 28	30 sq.
II 120	10	III 8	28 sqq.
IV 62	11	Sallust. b. J. XVI	12 sqq.
Hom. II. I 378	3 sqq.	XLII	14 sq.
K 418 sqq.	5 sqq.	XLVII	15 sqq.
Xenophon. Anab. V 5, 19	6	Liv. III 39	18 sq.
Cic. de off. I 5	7	XXIII 44	17 sq.
I 11	22 sqq.	Tac. hist. III 42	27